Planck De Euripides Troica didascalia

DE

EURIPIDIS TROICA DIDASCALIA.

COMMENTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS PLANCK

GOTTINGENSIS

SEMINARII REGII PHILOLOGICI SODALIS.

GOTTINGAE,

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA DIETERICHIANA.

MDCCCXL.

VIRO

AMPLISSIMO ET ILLUSTRISSIMO

CHR. GUIL. MITSCHERLICHIO

PHILOSOPHIAE DOCTORI ET LITERARUM ANTIQUARUM
IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA PROFESSORI PUBLICO
ORDINARIO
REGI A CONSILIIS JUSTITIAE SANCTIORIBUS

ELEGANTISSIMO ANTIQUORUM POETARUM INTERPRETI
CUM NOMINE ET LAUDE HORATIANAE CAMENAE
CONJUNCTISSIMO

EGREGIO HUJUS ACADEMIAE DECORI

PRAECEPTORI SUO SUMMA PIETATE COLENDO

HUNC LIBELLUM

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Car. Odofredus Muellerus, cujus praeceptoris optimi caritatem nonnisi cum vita exuam, in scholis de Graecorum tragica arte habitis saepenumero Euripidis Troades monstravit tanquam fabulam mire compositam, in qua maxime exitus desideraretur argumento consentaneus. Quod summi illius viri judicium, quicunque Troades legerit, statim confirmabit assensu suo. Quod consideranti mihi ac reputanti, quomodo illa singularis compositio explicari posset, quum Troades cum Alexandro et Paamede, quod utrumque argumentum item ad res Troicas spectaret, conjunctas fuisse ex Aeliano inelligerem, in mentem venit, in trilogicam harum abularum rationem inquirere, ut, si quid inde luis Troadibus affundi posset, periculum facerem. Mox Adolphum Schoellium, virum doctissimum, in bro, quem inscripsit: *Beiträge zur Attischen Literaturgeschichte,* eandem viam ingressum esse idi, ut ex trilogica compositione singulas fabulas lustraret. Itaque studiose hujus vestigia premere epi, utpote qui ad eundem scopum tenderem. inuvero in medio itinere, dubitatione orta, ab eo, uem ducem elegeram, discessi. Quo diutius enim

in illarum fabularum argumenta inquirebam, eo minus verisimile fiebat mihi, trilogiam eas effecisse. Nimirum *Palamedem,* mediam tragoediam, trilogico nexui utique refragari videbam. Quo factum est, ut, cui me assectatorem adjungere volueram, eum jam, quantum possem, refutare cogerer. Praeclare vero, ut ego sentio, idem Schoellius de temporibus, in quae illae fabulae incidant, ac de iis rebus, quas illustrent, in illo libro disseruit, ut in his fere omnibus ei me assentiri oporteret. Verumtamen Troadum tragoediam, quam ille ad Meliorum tantum calamitatem refert, ego omnino crudelis victoriae imaginem exhibere arbitror, qua ratione tota fabulae compositio quodammodo explicatur. Neque ea ratione impedimur, quin Troades, sicut reliquam didascaliam, item ad illa tempora referamus.

Didascaliae nomine usus sum, non *tetralogiae*, quod *tetralogiam* pariter atque *trilogiam* internum argumentorum nexum indicare suspicor.

Restat, ut moneam lectorem, qui versus Euripidis a me citatos legere velit, eos me citasse e editione Ludovici Dindorfii, quae prodiit Lipsiae a. 1825. Scr. Gottingae Kalendis Decembribus MDCCCXL.

§. 1.

De duobus generibus tragicarum διδασκαλιῶν.

Ex quo Athenis certari tragoediis coeptum est, quod quidem jam Thespidis tempore factum esse fertur, statim plures tragoedias poetae docuisse [1]) videntur, si recte tragoediae vocantur, quae ab uno tantum agebantur actore. Quales tragoedias Choerilus, Suida teste, ad CLX scripsit, quas singulas editas esse haud credibile est. Deinde Aeschylus, sublimi vates spiritu, addito actore altero et inventa compositione tetralogiarum, illa artis primordia adeo auxit perfecitque, ut amplius perfici tragoedia vix posse videretur. Sic ille vir tragoediae parens idemque princeps fuit, quem nemo unquam superavit, aequaverunt pauci. Neque ab eo inde tempore populus Atheniensis ullum poetam ad tragicum certamen admisit, nisi qui tetralogiam proferret. Consta-

1) *Docendi* vocabulum sollemne erat de poetis, qui ad fabulae commissionem primum chorum et actores suis quemque partibus instruebant, deinde fabulae commissionem moderabantur. Hinc *διδασκαλίας* nomen, quod unam vel plures fabulas declarat ab aliquo poeta ad eandem commissionem doctas.

bat ejusmodi tetralogia e trilogia et fabula Satyrica. Trilogia erat continuatio trium tragoediarum argumenti perpetuitate quadam cohaerentium. In qua pariter atque in quavis tragoedia unitas quaedam inesse debebat. Nam ut tragoedia actionem repraesentat magnam et severam [2]), sic trilogia *tres gradus fati alicujus magni et calamitosi, origine, incremento, solutione ejus calamitatis per plura saepe genera propagatae descriptis.* Sic *Orestea* Aeschyli adumbravit longam seriem calamitatum Agamemnoniae domus a patris nece usque ad expiationem Orestis propagatam. Namque in *Agamemnone* tragoedia rex everso Ilio domum redux ab uxore et ejus adultero foeda nece interimitur. Deinde in *Choephoris* adultus Orestes ultionis officium, postquam ad tumulum patris animum confirmavit, exsecutus non modo Aegisthum, sed etiam matrem occidit. Postrema tragoedia, *Eumenides,* ostendunt Orestem a Furiis, quae diu eum agitaverant, divina ope liberatum sanctissimo judicio. Similiter Aeschyli reliquae trilogiae, velut Lycurgia, Prome-

---

2) Arist. poet. VI, 2. *ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας μέγεθος ἐχούσης ..... Πρᾶξις* non modo actionem, factum significat, sed etiam fortunam aliquam. Nam *πράττειν* est *rem gerere*, deinde *in rebus gerendis fortuna uti vel prospera vel adversa*; hinc *πρᾶξις rei gestio vel secunda vel adversa fortuna perfecta*, denique *fortuna.* Aesch. Prom. 695. *πέφρικ' εἰσιδοῦσα πρᾶξιν Ἰοῦς.* Nec non Aristoteles hoc ostendit poet. VI, 12. *ἡ τραγῳδία μίμησίς ἐστιν οὐκ ἀνθρώπων ἀλλὰ πράξεων καὶ βίου καὶ εὐδαιμονίας καὶ κακοδαιμονίας· καὶ γὰρ ἡ εὐδαιμονία καὶ ἡ κακοδαιμονία ἐν πράξει ἐστίν ..... εἰσὶ κατὰ μὲν τὰ ἤθη ποιοί τινες, κατὰ δὲ τὰς πράξεις εὐδαίμονες ἢ τοὐναντίον.* Illum sensum *πράξεως* parum reddit *actionis* vocabulum, sed inopia aptioris vocabuli id retinemus.

theus, Persae, quantum conjicere licet, parem argumenti perpetuitatem ostenderunt. Et haec quidem ratio erat trilogiae. Quam excipiebat fabula Satyrica, in qua tragicae personae simul cum Satyris prodibant, et eam ob causam multum de gravitate sua remittebant [3]). Quarum fabularum argumenta nonnunquam cum trilogiis cohaerebant.

Sed tetralogiae rationem immutavit Sophocles, tragoedias docens e variis argumentis petitas et per se integras. Suidas s. *Σοφοκλῆς*. *Ἦρξε δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν*, *certavit primus* (*producens*) *drama adversus drama*, *non tetralogiam* (*adversus tetralogiam*). Ex his quidem verbis ipsis non patet, num singulas tantum fabulas docuerit Sophocles, an quaternas, quae singulae singulis adversarii opponerentur: verum quoniam haud probabile est, sollemnem morem quaternis fabulis certandi Sophoclem relinquere potuisse, Suidam et ipsum Sophocli didascalias quatuor fabularum tribuere putamus. Quod tam ambigue loqui non vitavit, fortasse ea causa factum est, quod non dubitabat, quin omnes *ἀγωνίζεσθαι* de *tetralogiarum* certamine acciperent. Sophocles igitur, quem posteriores ferme omnes imitati sunt, auctor fuit novi generis tetralogiarum [4]). Quod quidem et ipsum e ternis tragoediis

---

3) Quamobrem *παίζουσαν τραγῳδίαν* nonnulli fabulam Satyricam vocaverunt. De qua locus est egregius Horat. ep. II, 3, 220.

4) Quae nescio an melius didascaliae vocentur. Nam *τετραλογία*, si unum Diogenem Laërtium excipimus, quem Suidas exscripsit, internum nexum nusquam non indicare videtur. Diogen. Laert. III, 36. *Θράσυλλος δέ φησι καὶ κατὰ τὴν τραγικὴν τετραλογίαν ἐκδοῦναι αὐτὸν* (*Πλάτωνα*) *τοὺς διαλόγους· οἷον ἐκεῖνοι τέτρασι δράμασιν ἠγωνίζοντο Διονυσίοις, Ληναίοις, Παναθηναίοις,*

constabat adjunctis fabulis Satyricis singulis, verum interno argumentorum nexu carebat. Nec non Euripides Sophoclis morem imitatus est, qui et ipse tragoedias docuit diversi argumenti. Attamen ea didascalia, quam ex Aeliano novimus, quamque ab argumentis fabularum *Troicam* 5) appellare liceat, contrariam rationem sequi videtur. Examinanda est igitur accuratius.

§. 2.

De didascalia Troica.

Euripidis didascaliam, in qua Troadum tragoedia fuit, nobis patefecit luculentissimum testimonium apud *Aelianum* V. H. II, 8, quod quidem e *Διδασκαλιῶν* scriptore quodam fluxisse videtur. Verba haec sunt: *κατὰ τὴν πρώτην καὶ ἕκτην* (scribe *ἐννενηκοστὴν*) *'Ολυμ-*

Χύτροις, ὧν τὸ τέταρτον ἦν σατυρικόν· τὰ δὲ τέτταρα δράματα ἐκαλεῖτο τετραλογία. Haec tetralogiae explicatio, sive a Diogene sive a Thrasyllo ipso profecta est, nullo modo probari potest propter manifestum errorem, quem jam Wyttenbachius notavit. Quis enim credat, eum morem obtinuisse, ut tetralogia in quatuor festa distribueretur? Neque tamen cum Wyttenbachio festorum nomina interpolata esse credo; quibus omissis illa enunciatio brevior fit, quam ut opus sit his verbis additis: *τὰ δὲ τέτταρα δράματα ἐκαλεῖτο τετραλογία.* Verum enimvero totum locum a Diogene, qui Thrasyllum male intelligeret, assutum esse puto.

5) Nulla antiquitus his tetralogiis sive didascaliis fuerunt nomina propria, quemadmodum superioribus erant, velut *'Ορεστεία, Λυκουργία, Πανδιονίς.* De quorum usu Schol. in Ran. 1155 (1122) *τετραλογίαν φέρουσι τὴν 'Ορεστείαν αἱ διδασκαλίαι. 'Αγαμέμνονα, Χοηφόρους, Εὐμενίδας, Πρωτέα Σατυρικόν. 'Αρίσταρχος καὶ 'Απολλώνιος τριλογίαν λέγουσι χωρὶς τῶν Σατυρικῶν.* Apparet universas *διδασκαλίας* ab initio iis nominibus esse significatas.

πιάδα, ..., ἀντηγωνίσαντο ἀλλήλοις Ξενοκλῆς καὶ Εὐριπίδης· καὶ πρῶτός γε ἦν Ξενοκλῆς, ..., Οἰδίποδι καὶ Λυκάονι καὶ Βάκχαις καὶ Ἀθάμαντι Σατυρικῷ· τούτου δεύτερος Εὐριπίδης ἦν Ἀλεξάνδρῳ καὶ Παλαμήδῃ καὶ Τρῳάσι καὶ Σισύφῳ Σατυρικῷ. At non omnia verba hujus testimonii sic leguntur in codicibus. Scilicet, ubi Τρῳάσι Musgravius egregie restituit, Τρωσὶ legebatur, qui nullius tragoediae Euripideae est titulus. Musgravio igitur adstipulandum est, praesertim quum conjectura ejus firmetur aliis testimoniis conspirantibus. Schol. in Ar. Vesp. 1317. ὑστερεῖ ἡ τῶν Τρῳάδων κάθεσις ἔτεσιν ἑπτά. Septem annis post Aristophanis Vespas actae sunt Troades. Vespas autem quum constet editas esse Ol. 89, 2., Troadum commissio incidit in Ol. 91, in qua apud Aelianum Τρῶες ponuntur. Alterum testimonium docet, Palamedem eodem tempore esse actum. Schol. in Av. 843. παρακωμῳδεῖ τὸν Εὐριπίδου Παλαμήδην οὐ πρὸ πολλοῦ δεδιδαγμένον. Aves quoniam doctae sunt ab Aristophane Ol. 91, 2. magnis Dionysiis, Palamedes aut in priorem partem anni 91, 2 incidit, aut in annum 91, 1, quippe qui ultra initium Ol. 91. rejici nequeat. Huc accedit tertium testimonium Schol. in Av. 1717. χλευάζει παρὰ τὰ ἐκ Τρῳάδων Εὐριπίδου· ἄνεχε, πάρεχε, φῶς φέρε (Troad. v. 308.) Ex quo apparet in Avibus Aristophanem simul Troades et Palamedem perstrinxisse, quod quidem valet ad totam rem comprobandam.

Haec sufficiunt ad confirmandum testimonium Aeliani, sed nunc accuratius de tempore commissionis videndum est. Constat igitur Palamedem cum Troadibus non multo ante Aves h. e. ante Dionysia magna Ol. 91, 2.

eadem commissione actum esse. Hanc Zirndorferus [6]) ponit Ol. 91, 1, ad quem annum ducit Schol. in Vesp. 1317. *ὑστερεῖ ἡ τῶν Τρῳάδων κάθεσις ἔτεσιν ἑπτά.* Schoellius [7]) autem eam commissionem parvis Dionysiis Ol. 91, 2. [8]) factam esse statuit, probante Welckero, (Suppl. Mus. Rhen. II. pag. 510). Ac sane Schol. in Vesp. 1317. septem annos integros et partem octavi *ἔτεσιν ἑπτά* significare potuit, sed quaeritur, num omnino novae tragoediae editae sint parvis Dionysiis, quod multi viri docti negaverunt. Ad quod probandum Schoellius citat Aelian. V. H. II, 13. *ὁ δὲ Σωκράτης σπάνιον μὲν ἐπεφοίτα τοῖς θεάτροις, εἴποτε δὲ Εὐριπίδης ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητὴς ἠγωνίζετο καινοῖς τραγωδοῖς* [9]), *τότε γε ἀφικνεῖτο· καὶ Πειραιεῖ δὲ ἀγωνιζομένου τοῦ Εὐριπίδου καὶ ἐκεῖ κατῄει.* In quo loco explicando quamvis Schoellius a Boeckhio [10]) discedat, viro clarissimo, tamen Schoellio assentior. Sensus enim ejus loci hic esse mihi videtur: 'Socrates omnino theatra raro adibat, nisi forte Euripides novis tragoediis certaret. Quod ubi fiebat, non modo Atheniense theatrum frequentabat, sed etiam Piraeeum'. His rejectis si quis malit sic explicare, Socratem adeo delectatum esse Euripidis tragoediis, ut novas in urbe spectaret,

---

6) Zirndorfer, de chronologia fabularum Euripidis p. 70.

7) Ad. Schoell, Beiträge zur Gesch. d. griech. Poesie Th. I. p. 70.

8) Inter magna Dionysia Ol. 91, 1. et parva 91, 2. novem fere menses intersunt.

9) Bekk. Anecdot. pag. 309, 8. *τραγῳδοῖσι· τῶν τραγῳδῶν οἱ μὲν ἦσαν παλαιοί, οἱ παλαιὰ δράματα εἰςαγαγόντες, οἱ δὲ καινοί, οἱ καινὰ καὶ μηδέποτε εἰςαχθέντα.*

10) Boeckh, über die Lenäen, Anthesterien und Dionysien, in d. Abhandl. d. Berl. Acad. 1816 — 17. Histor.-philol. Classe, p. 96.

veteres in Piraeeo, ei hoc etiam explicandum est, cur Socrates veteres Euripidis tragoedias, quas in Piraeeo adeo diligebat, in urbe spectare noluerit. Nam interdum in urbe spectare poterat, videlicet Lenaeis [11]), ubi non modo novae, sed etiam veteres tragoediae edebantur, inter quas non dubium est, quin interdum Euripideae fuerint. Has cur in Piraeeo spectare maluerit quam in urbe, non intelligitur. Immo vero credibile non est, eum, qui nullas nisi novas tragoedias spectare vellet, in Piraeeum se contulisse, ut veteres spectaret. Ceterum parvis Dionysiis, quae ruri ab Atheniensibus laeto ac festo apparatu celebrabantur [12]), non modo in Piraeeo, sed etiam in aliis pagis ludi scenici instituti sunt. Sed Piraeeum theatrum, quod haud exiguum erat, unicum fuisse videtur, in quo novae fabulae ederentur. In urbe autem ipsa per eos dies nihil actum esse videtur, quoniam ferme omnes rus discesserant.

Jam vero quaeritur, cur Euripidis Troica didascalia potius ad parva Dionysia Ol. 91, 2. referenda sit, quam ad magna Dionysia Ol. 91, 1; nam Lenaeis ejus anni Agatho vicit [13]), non Xenocles. Magna Dionysia Ol. 91, 1. si ad nostram temporum rationem revocamus, incidunt in Martium mensem anni 415 a. Chr., parva autem Dionysia Ol. 91, 2. incidunt in Decembrem mensem ejusdem anni. Quaeritur igitur, num vere an hieme ineunte anni 415. edita sit didascalia Troica. Quod ex internis indiciis, quae in ipsa Troadum tragoedia

11) Magnis Dionysiis novae tantum tragoediae proferebantur, Lenaeis vero et novae et veteres.

12) Boeckh l. l. pag. 74. 75.

13) Plat. Sympos. p. 175. E. Athen. V. p. 217. A.

insunt, dijudicandum est. Rerum publicarum conditionem maxime respicit parodus v. 197 sqq. In qua Troades captivae anxie suspensae de servitutis sorte, quae quamque maneat, Graecas civitates, ubi serviturae sint, sic recensent:

τὰν κλεινὰν εἴθ' ἔλθοιμεν
Θησέως εὐδαίμονα χώραν,
μὴ γὰρ δὴ δίναν γ' Εὐρώτα,
τὰν ἐχθίσταν θεράπναν Ἑλένας,
ἔνθ' ἀντάσω Μενέλᾳ δούλα,
τῷ τᾶς Τροίας πορθητᾷ·
τὰν Πηνειοῦ σεμνὰν χώραν,
κρηπῖδ' Οὐλύμπου καλλίσταν,
ὄλβῳ βρίθειν φάμαν ἤκουσ'
εὐθαλεῖ τ' εὐκαρπείᾳ·
τάδε δεύτερά μοι μετὰ τὰν ἱερὰν
Θησέως ζαθέαν ἐλθεῖν χώραν·
καὶ τὰν Αἰτναίαν Ἡφαίστου
Φοινίκας ἀντήρη χώραν,
Σικελῶν ὀρέων ματέρ', ἀκούω
κηρύσσεσθαι στεφάνοις ἀρετᾶς.
τάν τ' ἀγχιστεύουσαν γᾶν
Ἰονίῳ ναύταις πόντῳ,
ἃν ὑγραίνει καλλιστεύων
ὁ ξανθὰν χαίταν πυρσαίνων
Κρᾶθις, ζαθέαις παγαῖσι τρέφων
εὔανδρόν τ' ὀλβίζων γᾶν.

En habitus animorum et rerum Atheniensium status, qui erat sub finem anni 415. Media aestate ejus anni classis Atheniensium amplissima solverat in Siciliam cum magno exercitu. Qui tum sub Aetna monte hibernacula tenebat. Quare mentio Aetnaeae regionis Athe-

niensibus erat gratissima. Et scite Euripides eam regionem vocat *Φοινίκας ἀντήρη*, quum Siciliam Athenienses maxime ob amplissimum cum Carthagine commercium expeterent. Quid quod societatem Carthaginiensium ambierant ad Syracusanos opprimendos [14]). Nec minus tunc Italicarum civitatum societas Atheniensibus erat curae. Sed pleraeque recusaverant, quominus ad societatem Atheniensium accederent. Thurii autem eorum classem in Siciliam praetervehentem summa benevolentia apud se exceperant omniumque rerum copiis sublevaverant [15]). Hinc laudes Thuriorum ab Euripide per Crathin fluvium significatae. Athenas autem ipsas primo loco laudari quis est, qui miretur? Tum sequitur vituperatio Spartae. Nam etsi tum pax erat Atheniensibus cum Spartanis, tamen mutuum eorum odium in dies gliscebat. Deinde Thessalia cum laude nominatur; cujus amicitiam Athenienses studiose colebant, ex quo ante tres annos Perdiccas, Macedonum rex, a partibus eorum defecerat. Initio parodi Pirene fonte memorato Corinthus vituperatur, Atheniensibus dudum infestissima. Sic Athenae et socii laudantur, iis vero civitatibus, quae tum hostes erant, obtrectatur. Quid autem? Nonne haec etiam magnorum Dionysiorum tempori conveniunt? Non puto. Neque enim Euripides, nisi Atheniensium exercitus jam in Sicilia fuisset, tam multis verbis Siciliam et Thurios commemorasset, quippe qui expeditionem Sicilicam et magnifica Atheniensium consilia non admodum probaret. Quod colligo quum

14) Thuc. VI, 88.

15) Diodor. XIII, 3. cf. L. Schiller, de rebus Thuriorum. Gott. 1838. pag. 31.

ex tota Cassandrae oratione Troad. v. 365 sqq., tum ex v. 400.

φεύγειν μὲν οὖν χρὴ πόλεμον, ὅςτις εὖ φρονεῖ;
εἰ δ' ἐς τόδ' ἔλθοι, στέφανος οὐκ αἰσχρὸς πόλει
καλῶς ὀλέσθαι, μὴ καλῶς δὲ δυςκλεές.

Nec non alterum vestigium in Troadibus deprehenditur, quod magis parvorum Dionysiorum Ol. 91, 2. tempus ostendat, quam magna Dionysia proximi anni, v. 1071:

φροῦδαί σοι θυσίαι χορῶν τ'
εὔφημοι κέλαδοι κατ' ὄρ-
φναν τε παννυχίδες θεῶν,
χρυσέων τε ξοάνων τύποι,
Φρυγῶν τε ζάθεοι σελᾶ-
ναι συνδώδεκα πλήθει.

Significantur mysteria Phrygia [16]), quae Euripides vix memorasset, nisi proxima aestate Athenis celeberrima judicia de profanatis mysteriis Eleusiniis agitata essent. Haec omnia me adducunt, ut cum Schoellio didascaliam Troicam ab Euripide parvis Dionysiis Ol. 91, 2. in Piraeeo editam esse putem.

§. 3.
De Alexandro.

Alexandri, quae habemus fragmenta, viri docti olim ad *Alexandram*, quae fabula Alexandrae sive Cassandrae in Apollinem contumaciam detracta vaticiniorum fide punitam contineret [17]), praesertim Musgravio auctore retulerunt. Verum enimvero Alexandri, non Alexandrae fragmenta esse probavit Osannus in Wolfii Ana-

---

16) Cf. Schoell. l. l. pag. 81.
17) Hygin. fab. 93.

lectis t. II. et ex fragmentis ipsis et ex auctoritate testimoniorum. Horum auctoritatem si primum consideramus, Ἀλέξανδρον exhibet et Stobaei Cod. Paris. ap. Gaisf. ubique, et Aelianus l. l. et Clemens Alex. Strom. IV. p. 483 et p. 621. Sed gravissimum est, quod inscriptio marmoris, quam Winckelmannus edidit, (Monumenti ined. n. 168.) pariter praebet Ἀλέξανδρον. Alexandram contra ferunt praeter Stobaei quosdam codices Hesych. s. ἄῤῥητος et Schol. in Ran. 100, repugnante altero Scholiaste. Fragmenta autem ipsa Osannus docuit bene congruere cum eo Alexandri argumento, quod Hyginus fab. 91. enarret. Qui quidem sic tradit: *Priamus, Laomedontis filius, quum complures liberos haberet ex concubitu Hecubae, Cissei sive Dymantis filiae, uxor ejus praegnans in quiete vidit se facem ardentem parere, ex qua serpentes plurimos exisse. Id visum omnibus conjectoribus quum narratum esset, imperant, quidquid pareret, necaret, ne id patriae exitio foret. Postquam Hecuba peperit Alexandrum, datur interficiendus; quem satellites misericordia exposuerunt. Eum pastores pro suo filio repertum expositum educarunt, eumque Parim nominaverunt. Is quum ad puberem aetatem pervenisset, habuit taurum in deliciis; quo quum satellites missi a Priamo, ut taurum aliquis adduceret, venissent, qui in athlo funebri, quod ei fiebat, poneretur, coeperunt Paridis taurum abducere. Qui persecutus est eos et inquisivit, quo eum ducerent. Illi indicant se eum ad Priamum adducere, qui vicisset ludis funebribus Alexandri. Ille amore incensus tauri sui descendit in certamen et omnia vicit* (πάντα ἐνίκα), *fratres quoque suos superavit. Indignans Deiphobus gladium ad eum strinxit; at ille in aram Jovis Hercei insiluit. Quod quum Cassandra vaticinaretur eum fratrem esse, Priamus eum agnovit regiaque recepit.* Haec Hyginus, cui

multas tragicorum fabulas debemus. Enimvero ut saepe res minoris momenti prolixius enarrat, ita nonnunquam res omittit ad compositionem tragoediarum gravissimas. Quod ei hic quoque accidit, ut ostendit Cl. WELCKERUS, qui nuper in Supplementis Musei Rhenan. Philol. t. II, p. 462 sqq. veram hujus tragoediae compositionem et ex fragmentis ejus et ex aliis vestigiis plurimis [18]) ingeniosissime enucleatam praeclare enarravit. Quae enarratio cuilibet harum rerum studioso est cognoscenda. Ego duntaxat graviora ex Welckero referam.

Initio hujus tragoediae Hecuba luget filium, cujus statim post partum sibi erepti funebria hoc die celebrentur. Consolatur Priamus (fr. I. ap. Matth.):

Παλαιὰ καινοῖς δακρύοις οὐ χρὴ στέγειν.

Deinde affertur nuntius de ludis et Alexandro victore. Mox ipse Alexander adducitur a Deiphobo omnium juvenum, qui victi erant, maxime exacerbato. Qui ante Priamum judicem, adstante corona et Trojanorum, qui chorum efficiebant, et pastorum Alexandrum comitantium [19]), acerba oratione hominis servi audaciam incusat necemque ejus postulat. Contra quae Alexander in oratione sua et paupertatem hominum servorum defendit, et divitiarum arguit injustitiam. Chorus, ut canticorum fragmenta ostendunt, cum Deiphobo et nobilibus faciebat, pastores cum Alexandro. Tandem Alexander, quum libertate, qua se defenderat, etiam Priamum offendisset, gladium in eum stringente Deiphobo, in aram Jovis Hercei insiluit:

---

18) Maximi momenti fuerunt fragmenta quaedam Ennii, qui Alexandro suo Euripidem imitatus est. Docet Varro L. L. 7, 82.

19) Cf. Schol. ad Eur. Hippol. 67.

Οἴμοι! θανοῦμαι διὰ τὸ χρήσιμον φρενῶν
ὃ τοῖσιν ἄλλοις γίγνεται σωτηρία. (fr. 5.)

Tum vero peripetia dramatis adest. Patefacit Cassandra genus Paridis, quod et crepundiis ejus et Archelai ministri testimonio confirmatur. Sic periculo ille liberatur, sed, ne regia recipiatur, multa et dira vaticinia effatur Cassandra. Frustra. Neque enim Troes propter iram Apollinis quidquam ei credunt, et Priamus Alexandrum regia recipit.

Χρόνος δὲ δείξει σ', ᾧ τεκμηρίῳ μαθὼν
ἢ χρηστὸν ὄντα γνώσομαί σε γ' ἢ κακόν. (fr. 18.)

Denique festi apparatus, quibus Priamus filii recepti victoriam celebrare instituit, finem faciunt tragoediae.

Sed alium finem tragoediae Schoellius ponit. Statim post agnitionem, ait, Paridis judicium, quod de deabus judicavit et consilium surripiendae Helenae a Venere suppeditatum innotescit sive ipsius Paridis verbis, sive per Cassandram. A quo consilio ut desistat, acriter postulat Cassandra, et, quum ille recuset, gravissima vaticinia effatur. At quum nemo fidem ei habeat, Paris in consilio suo perstat, Priamo et reliquis Troibus rem temere probantibus. Haec fere Schoellii sententia, ad quam probandam laudat et argumentum Cypriorum et hoc tragoediae fragmentum:

ἐκ γὰρ ὁμοίων οἱ κακοὶ γαμοῦσ' ἀεί. (fr. 12.)

At sensus hujus fragmenti sine contextu incertissimus, neque quidquam inest, quod Paridis verba esse ostendat. Possumus etiam Deiphobo tribuere, quem Welckerus his verbis in *δούλων γένος* invehi censet. Nec Cypria Schoellio magis favent. E quibus Proclus haec refert: *Ἔρις νεῖκος περὶ κάλλους ἐνίστησιν Ἀθηνᾷ, Ἥρᾳ καὶ Ἀφροδίτῃ· αἳ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐν Ἴδῃ, κατὰ Διὸς*

προςταγὴν, ὑφ' Ἑρμοῦ πρὸς τὴν κρίσιν ἄγονται. Καὶ προκρίνει τὴν Ἀφροδίτην, ἐπαρθεὶς τοῖς Ἑλένης γάμοις, Ἀλέξανδρος. Ἔπειτα δὲ, Ἀφροδίτης ὑποθεμένης, ναυπηγεῖται, καὶ Ἕλενος περὶ τῶν μελλόντων αὐτοῖς προθεσπίζει· καὶ ἡ Ἀφροδίτη Αἰνείαν συμπλεῖν αὐτῷ κελεύει· καὶ Κασσάνδρα περὶ τῶν μελλόντων προδηλοῖ. Apparet Alexandrum Helenae rapiendae consilium aliquamdiu omisisse, ut admonitione Veneris opus esset. Quae eum admonuit haud dubie postquam ille in paternam domum receptus aliquod tempus in otio moratus est. Itaque nos quoque statuimus, Alexandrum non statim post agnitionem de profectione in Graeciam cogitasse, quod quidem alienum est ab hujus tragoediae argumento et ratione.

§. 4.

De Palamede.

Res Palamedis exponunt Schol. Eur. Or. 422, Tzetz. ad Lycophr. p. 46. ed. Potter., Hygin. fab. 105, Philostrat. Heroic. p. 708. Olear. Ego Hygini verba huc transscribam, quem ipsius Euripidis tragoediam exprimere puto. Sunt verba Hygini haec: *Ulysses, quod Palamedis, Nauplii filii, dolo erat deceptus* [20]*, in dies machinabatur, quomodo eum interficeret. Tandem inito consilio ad Agamemnonem militem suum misit, qui diceret ei, in quiete vidisse, ut castra uno die moverentur. Id Agamemnon verum existimans, castra uno die imperat moveri. Ulysses autem clam noctu solus magnum pondus auri, ubi tabernaculum Palamedis fuerat, obruit: item epistolam conscriptam Phrygi captivo ad Priamum* [21]*) dat perferendam militemque*

20) Cf. Hygin. fab. 95.

21) Nihil mutandum. Nam Ulysses epistolam, quae tan-

suum priorem mittit, qui eum non longe a castris interficeret. Postero die quum exercitus in castra rediret, quidam miles epistolam, quam Ulysses scripserat, super cadaver Phrygis positum ad Agamemnonem attulit: in qua scriptum fuit: Palamedi a Priamo missa: tantumque ei aurum pollicetur, quantum Ulysses in tabernaculum obruerat, si castra Agamemnonis, ut ei convenerat, proderet. Itaque Palamedes quum ad regem esset perductus et factum negaret, in tabernaculum ejus ierunt et aurum effoderunt. Quod Agamemnon ut vidit, verum factum esse credidit [22]. Sic Hyginus, quem cur potius Euripidis, quam alius tragici, fabulam reddere putem, hae mihi sunt rationes. Primum in initio illius enarrationis vestigia Euripidei prologi inesse mihi videntur, deinde tota fabulae ratio est artificiosior, quam apud ceteros auctores, et longissime distat a genuina forma fabulae. Quam e Cypriis carminibus sic tradit Pausanias X, 31, 1. *Παλαμήδην δὲ ἀποπνιγῆναι προελθόντα ἐπὶ ἰχθύων θήραν, Διομήδην δὲ τὸν ἀποκτείναντα εἶναι καὶ Ὀδυσσέα ἐπιλεξάμενος ἐν ἔπεσιν οἶδα τοῖς Κυπρίοις* [23]. Ac probabile est, fabulam, quam et Aeschylus et Sophocles tractassent, nova et magis artificiosa ratione ab Euripide esse elaboratam. Hanc meam mihi confirmat opinionem Cl. Welckeri sententia, qui praesertim in doli narratione Euripidis morem modumque agnovit [24]. Istum dolum Ulysses struebat prima

---

quam a Priamo ad Palamedem scripta erat, fraudem dissimulans vere jussit ad Priamum perferri.

22) Capite damnatum Achivi lapidibus obruerunt.

23) Cypriorum ultimus liber videtur inscriptus fuisse *Παλαμήδεια*. Cf. Schneidewin, Fragmente griech. Dichter aus ein. Papyrus d. K. Musei zu Paris. Gött. 1838. p. 15 ff.

24) Supplem. Mus. Rhen. II, 503.

parte fabulae, media fabula capitale judicium et adversarias Ulyssis et Palamedis orationes continebat, extrema supplicium Palamedis. Adversarias orationes in judicio habitas ab Euripide, magno dicendi artifice, summa arte elaboratas esse nemo non facile credet. Quid quod probant quum alia documenta, tum multae sophistarum orationes ad imitationem Euripidis de Palamedis causa scriptae. Praeterea haec Euripidis tragoedia insignis erat oratione et cantico, quibus Palamedes, antequam ad supplicium abduceretur, graviter et luculenter innocentiam suam demonstrabat.

Ἐκάνετε, ἐκάνετε τὰν πάνσοφον, ὦ Δαναοί,
τὰν οὐδὲν ἀλγύνουσαν ἀηδόνα Μουσᾶν.

Sic apud Philostrat. Her. X, 12. Et *χαῖρ' ἀλήθεια κυδρή· προέθανες γὰρ ἐμοῦ*, apud Schol. Gu. ad Orest. 422. Huic animi magnitudini Socratis damnati constantiam discipuli ejus et populus Atheniensis postea [25]) comparaverunt. Sed Palamedem spectatores tragoediae non omni spe ultionis destitutum videbant occidere. Antequam enim supplicium subiret, per Oeacem fratrem de nece sua Nauplium patrem certiorem fecit callido artificio. *Ὁ γὰρ Οἴαξ ἐγχαράττει πολλαῖς πλάταις τὰ περὶ τὸν Παλαμήδη, καὶ ἀφίησιν εἰς θάλασσαν, ὥςτε μιᾷ γέ τινι τὸν Ναύπλιον περιπεσεῖν.* Schol. Aristoph. Thesmoph. 768.

Restat ut de causis, quae Ulyssem apud Euripidem ad istud scelus permoverint, quaedam addantur. Quam in prologo Ulysses ipse significavit causam commemoranda arte Palamedis, qua olim deceptus erat, ea tantum abfuit, ut primaria esset, ut ab Ulysse

25) Cf. G. Hermanni praef. ad Nub. p. 37.

omnino inventa esse videatur ad excusandum consilium suum sceleratum. Multo majoris momenti haud dubie fuit invidia magni nominis, quod Palamedes, maximarum rerum inventor [26]), sollertia ac sapientia toto exercitu nactus erat. Et hanc quidem causam omnes tradunt auctores. Sed tertia causa aderat, apud Virgilium [27]) in oratione Sinonis commemorata his verbis:

Quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci, nunc cassum lumine lugent.

Quae res nisi ex universa fabulae compositione fidem haberet [28]), testimonium Sinonis falsam orationem habentis nihil omnino valeret. Nunc vero vix credi potest, Ulyssem, virum prudentissimum ac vaferrimum, sine tali occasione proditionis crimen in Palamedem conjecturum fuisse.

§. 5.
De Troadon tragoedia.

Quam rem ex parva Iliade petitam [29]) in Troasin Euripides nobis ob oculos posuit, eam ante illum non

---

26) Invenit numeros, litteras (fr. 2.), aleam.

27) Virg. Aen. II, 83.

28) Cf. Welcker. Suppl. Mus. Rhen. II, 131.

29) Aristot. Poet. 23, 7. *ἐκ μὲν Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας μία τραγῳδία ποιεῖται ἑκατέρας ἢ δύο μόναι· ἐκ δὲ Κυπρίων πολλαί· καὶ ἐκ τῆς μικρᾶς Ἰλιάδος (πλέον) ὀκτώ. οἷον Ὅπλων κρίσις, Φιλοκτήτης, Νεοπτόλεμος, Εὐρύπυλος, Πτωχεία, Λάκαιναι, Ἰλίου πέρσις καὶ Ἀπόπλους (καὶ Σίνων καὶ Τρῳάδες).* Parvam Iliadem, quae vulgo Leschae tribuitur, extrema parte Ilii excidium continuisse videmus. Sed quum idem multi alii poetae, quorum Arctinus et Stesichorus celeberrimi fuerunt, carminibus illustra-

modo poetae, sed etiam pictores repraesentaverant, v. g. Polygnotus, qui in Lescha Delphica Ilii excidium ita pinxit, ut inter varias Achivarum catervas etiam Troades captivas sortem suam lugentes collocaret [30]. Athenienses autem eandem rem in porticu, quam Poecilen vocabant, quotidie conspiciebant simili modo pictam, quod quidem intelligimus ex Paus. 1, 15, 3. Magis tamen Euripides ob oculos habuit tragicos, qui ante eum in hoc argumento elaboraverant, Aeschylum et Sophoclem, non quo eos imitaretur, sed quod argumentum variare studebat. Enimvero de Aeschylo, cujus *Ἴλιαι* in lex. Sangerm. memorantur ap. Bekk. Anecd. Gr. 1, 346, nihil certi erui potest; videtur tamen illa tragoedia, ut Cl. Welckerus statuit probabili conjectura, pars fuisse alicujus trilogíae. Sophocles autem in *Αἰχμαλωτίσιν*, quae tragoedia ad Ilii excidium spectabat, praecipue Astyanactis investigationem et necem descripsit, ut tragoediae cardo esset [31]. Euripides contra in sua tragoedia plures actiones conjunxit, quarum quae sit primaria, difficile est intellectu et perspici vix poterit, nisi totam rerum compo-

---

vissent, Euripides hos quoque respexit, inprimis Arctinum, egregium poetam et inter Cyclicos, qui vocantur, excellentem. Quamquam illos omnes haud ignobiles fuisse intelligimus, si quidem prae Homero, sole epicorum poetarum, non omnem splendorem amittebant. Arctinum Euripides expressit, ubi Priamum ad aram Jovis Hercei occisum tradit, Troad. v. 16 et 483, cujus rationis Excerpta Procli Arctinum ferunt auctorem. Lesches contra aliter tradidit, teste Pausania 10, 27. *Πρίαμον δὲ οὐκ ἀποθανεῖν ἔφη Λέσχεως ἐπὶ τῇ ἐσχάρᾳ τοῦ Ἑρκείου ἀλλὰ ἀποσπασθέντα ἀπὸ τοῦ βωμοῦ πάρεργον τῷ Νεοπτολέμῳ πρὸς ταῖς τῆς οἰκίας γενέσθαι θύραις.*

30) Paus. 10, 25, 2.

31) Cf. Welcker. Suppl. Mus. Rh. 2, 171.

sitionem contemplatus sis. Quocirca nunc fabulae argumentum enarrabo.

Postridie eam noctem, qua Ilium captum est [32]), Neptunus et Minerva in campo suburbano convenientes reditum Graecorum turbare constituunt, ille misericordia Trojanorum ductus, haec ob Ajacis facinus succensens. Post horum discessum Troades Hecubae lamentis e tabernaculis excitae a Talthybio praecone de sortitione facta docentur; Hecubam obvenisse Ulixi, Neoptolemo Andromacham, Polyxenam Manibus Achillis, Cassandram Agamemnoni. Inter haec Cassandra e tabernaculo proruit divinitus furens. Sed abducitur a Talthybio. Deinde Andromacha cum Astyanacte, parvulo filio, curru advecta, quum questus suos cum Hecuba et reliquis consociare coepisset, a Talthybio reverso filium tradere cogitur, ut ex decreto Achivorum de muro dejiciatur. Mox Menelaus adest et comites e tabernaculo protrahere jubet Helenam; quam culpae suae crimen purgantem adeo confutat Hecuba, ut Menelaus eam se domi interfecturum profiteatur. Redit Talthybius necatum

32) Secundum Leschen, quem Euripides in hac tragoedia potissimum secutus est, Achivi statim postero die post Ilium captum profectionem paraverunt. Paus. X, 25, 2. ἐς τοῦτο οὖν ἐσελθόντι τὸ οἴκημα, τὸ μὲν σύμπαν τὸ ἐν δεξιᾷ τῆς γραφῆς Ἴλιον τέ ἐστιν ἑαλωκυῖα καὶ ἀπόπλους ὁ Ἑλλήνων. Μενελάῳ δὲ τὰ ἐς τὴν ἀναγωγὴν εὐτρεπίζουσι . . . . . πλησίον δὲ τοῦ Ἑλένου Μέγης ἐστί. τέτρωται δὲ τὸν βραχίονα ὁ Μέγης, καθὰ δὴ καὶ Λέσχεως ὁ Αἰσχυλήνου Πυῤῥαῖος ἐν Ἰλίου πέρσιδι ἐποίησε· τρωθῆναι δὲ ὑπὸ τὴν μάχην τοῦτον, ἣν ἐν τῇ νυκτὶ ἐμαχέσαντο οἱ Τρῶες, ὑπὸ Ἀδμήτου φησὶ τοῦ Ἀργείου. Conspirat Homerus Odyss. III, 130, ubi Achivi pari modo profectionem parasse dicuntur postero die. Sed retinentur discordia Atridarum.

Astyanactem in Hectoris clypeo ferens. Conditur ille sepulcro et lugetur ab Hecuba et reliquis. Quo facto omnes ad naves abstrahuntur, reliquiis urbis renovato incendio flagrantibus.

Mira sane rerum compositio, in qua multi viri docti offenderunt. Ex quibus Zirndorferus[33]: *In Troadibus*, ait, *re vera non solum non unitas actionis, sed omnino nulla actio inest, neque de exitu felici vel infelici sermo esse potest, quia non adest nodus, qui feliciter vel infeliciter solvi possit.* At iste, si hanc tragoediam in scena actam spectaret, si captivas Troades videret, quae e patria abstrahuntur, si Cassandram cerneret generoso animo ad servitutem et mortem properantem, si audiret gemitus Andromachae, cui filius eripitur, denique si Ilium ingenti incendio flagrans conspiceret, tum vero ipse, credo, non jam omnem actionem huic fabulae deesse contenderet, immo plurimum actionis inesse. Quin etiam unitas quaedam in hac tragoedia inest, si non actionis, at actionum. Quae omnes Achivorum describunt saevitiam, quae ante oculos nostros sensim explicatur. Initio fabulae Hecuba et Troades anxie suspensae de sorte, quae quamque maneat, inter questus et lamentationes varias declarant sollicitudines. Tum adest Talthybius, praeco Achivorum, sortitionis factae eventum nuntiaturus. Ex hoc quae comperiuut Troades, jam satis iis ostendunt, quos dominos habiturae sint, fas et aequum parum curantes. Agamemnonem audiunt poscere sanctam Apollinis sacerdotem Cassandram, ut tori sui sit socia. Ulixem, cui obtigit miserrima Hecuba, jam du-

33) Zirndorfer, de chronologia fabularum Euripidearum. Marb. 1839. p. 71.

dum noverunt ut improbum ac malignum. Et quid istuc significat, Polyxenam Achillis addictum esse sepulcro? Mox infelix Hecuba id intelligit. Caesa est virgo in tumulo istius. Quod Hecuba flebili questu cum Andromacha deplorans vixdum paullulum mitigari ac requiescere coepit, quum iterum adest Talthybius novum atque inauditum Achivorum decretum afferens. Decreverant, praesertim Ulixe auctore, ut occideretur Hectoris filius. Quem e sinu matris ejulantis eripit Talthybius, non dissimulans, quid eum maneat. Quo facto etiam Andromacha ab Achivorum manu in curru Hectoris spoliis onusto abducitur, triste captivitatis spectaculum. Quid quod Achivi ne Helenae quidem parcunt, cujus recuperandae causa tot labores subierant. Quam domi suae se interfecturum esse profitetur Menelaus. Postremo Talthybius tristia ossa Astyanactis affert, ex saevo Achivorum decreto de urbis muro dejecti. Quo sepulto Hecuba et Troades luctui et lamentis indulgent, non sine insectatione Achivorum, donec, audito tubae clangore, quod signum erat profectionis, omnes ad naves compelluntur, procul refulgente incendio Trojae. His satis apte, opinor, illustravit Euripides Achivorum saevitiam, idque ita, ut omnes hae lineae paullatim descriptae in unam coeant imaginem crudelis victoriae. In qua exprimenda cardinem verti hujus tragoediae, vel inde patet, quod in prologo hujus saevitiae poenas Neptunus et Minerva vaticinantur.

Μῶρος δὲ θνητῶν, ὅςτις ἐκπορθεῖ πόλεις,
ναούς τε τύμβους θ', ἱερὰ τῶν κεκμηκότων,
ἐρημίᾳ δοὺς αὐτὸς ὤλεθ' ὕστερον [34]).

34) Troad. v. 95 - 97.

At nodum desiderant in hac fabula. Sane vero hanc fabulam nemo ad implicatum referet tragoediae genus. Verum enim vero in ea discrimen quoddam fortunae inest. Proxima nocte Ilium ab Achivis captum erat. Jam postquam furor et caedes, quae cum primo impetu conjuncta sunt, paulisper resederunt, spes erat, fore, ut Achivi a saevitia plane desisterent. Sed juxta fieri potuit, ut denuo saevire inciperent. Quare captivae Troades anxiae fluctuabant inter spem ac metum. At mox fortunam in deteriorem partem vergere vident, immo duriora experiuntur, quam ante timuerant. Itaque nulla est ratio, cur de infelici hujus fabulae exitu unquam dubitemus. Verumtamen quoniam omnes res, a quibus illud discrimen pendet, extra fabulam sitae sunt, nodus in ea non inest. Sed satis est, discrimen fortunae inesse et actionem fabulae habere initium et medium et finem, quae tria Aristoteles Poet. 7, 2-7, in justa fabula requirit. *Initium* autem ejus actionis, quam Troades continent, est Ilii expugnatio, in prologo a Neptuno narrata; *medium* sortitio captivarum et saeva facta in Cassandram, Polyxenam, Astynactem; *finis* captivarum in naves deductio.

Ceterum praecipuae virtutes hujus tragoediae non in actione positae sunt, sed in morum imitatione et descriptione affectuum. Praeclare enim componuntur diversa ingenia Hecubae et Andromachae et Cassandrae. Hecuba, quae haud dubie primas partes in hac fabula tuetur, acri mulier animo ac paene virili, calamitatibus, quibus obruitur, vehementer commovetur, et rabiem quandam doloris ostendit, ut ait Cicero Tusc. 3, 26. Cassandra contra infortunium generoso animo perfert, malorum ictus illa quidem et ipsa sentiens, sed divino

quodam spiritu dolorem mitigans propinquae mortis cogitatione. Andromachae autem mitius ingenium, quam Hecubae, sed non tam altum, quam Cassandrae. Haec, quemadmodum mulierem decet, praecipue conjugem et infantem deplorat, qui ei prae omnibus erant cari, et quibus amissis adeo affligitur, ut reliqua omnia, patriam, cives, suam ipsius fortunam nihili fere faciat. In his diversis ingeniis varios affectus, quos infortunium excitat, praeclare per totam tragoediam canticorum multitudine insignem depinxit Euripides. Et si hoc summum tragoediae est, movere miserationem et terrorem, huic tragoediae ad excitandam miserationem et terrorem egregie compositae laus sua profecto nunquam deerit.

§. 6.
De Sisypho Satyrico.

E Sisypho Euripidis unicum relictum est fragmentum:

Χαίρω σέ γ' ὦ βέλτιστον Ἀλκμήνης τέκος
Ἐλθόντα τόν τε μιαρὸν ἐξολωλότα [35]).

Enimvero ex eo ipso, quantum ego sentio, verum fabulae argumentum ingeniosa sagacitate eruit Ad. Schoellius. Retulit illa verba ad chorum Satyrorum, qui Alcmenae filium laudent de interfecto Sisypho. Nimirum Satyri in hac fabula a Sisypho, qui praedo vaferrimus

35) Suidas. *Χαίρω .... χαίρω σε ἐληλυθότα. Ὀρωπικοὶ οὕτω λέγουσι. Εὐριπίδης Σισύφῳ*

Χαίρω τέ γέ σ' ὦ βέλτιστε Ἀλκμήνης τέκος
. . . τόν τε μιαρὸν ἐξολωλότα.

Hos versus restituit, ut supra leguntur, Valckenarius diatr. 209.

peregrinos vario modo vexabat et opprimebat, in captivitate tenentur, in qua servitutem hi nequam serviunt desidiae eorum molestissimam. Et diu quidem latroni illi servierant nec querelis pepercerant, quum Hercules in eas regiones advenit. Quem et ipsum structis insidiis circumvenit Sisyphus, at laqueos rumpi videt hujus herois vi divina. Mox ipse clavam Herculis sentit vitamque amittit; quo facto Satyri liberati Herculi vindici laetis vocibus gratantur. Et hoc quidem argumentum fabulae fuisse videtur, quod bene quadrat et in Herculis morem et in ea, quae de Sisypho narrantur. Hunc Schol. ad Hom. Il. I, 180. Il. VI, 153. viatoribus insidias struxisse eosque saxo interfecisse tradit. Herculis autem praecipuum negotium erat, maleficos, qui terras vexabant, interimere. Quid quod Theseus, qui saepe cum Hercule confunditur, apud Schol. ad Stat. Theb. II, 380. Sisyphum praedonem interfecisse dicitur, videlicet commutatus cum Hercule. Denique latro ab heroe aliquo castigatus frequens erat fabulae Satyricae argumentum, cujus rei exempla sunt Euripidis Cyclops et Σάτυροι θερισταί.

At exstant aliae quoque fabulae de morte Sisyphi, quae et ipsae indolem Satyricam referunt. Quarum una [36]) Sisyphi dolum continet, quo *Θάνατον* a Jove missum vinculis constrinxit. Jupiter enim iratus, quod Sisyphus, indagato raptu Aeginae, Asopum, patrem ejus, de ea re edocuisset, *Θάνατον* misit, qui Sisyphum ad inferos abduceret. Sisyphus autem, qua erat sagacitate, imminens periculum animadvertens appropinquantem *Θάνατον* oppressit atque in vincula conjecit. Atqui

36) Cf. Welcker. Aeschylische Trilogie p. 555.

dum ille in vinculis est, per omnes terras nemo moritur, ut Orcus nec mortuos accipiat neque inferias. Tandem quum jam ferri non posset, ipse Orcus in terras profectus Θάνατον vinculis liberat et Sisyphum domitum illi abducendum tradit.

Hanc fabulam excipit altera, quam Aeschylus Σισύφῳ δραπέτῃ, dramate Satyrico, expressit. Mortis necessitatem videns Sisyphus Meropae uxori callide imperat, ut corpus suum inhumatum omittat. Itaque post mortem ad inferos venit nihil justorum nactus. Inferias praetermissas Orcus ipse videt. Tum Sisyphus vafer uxorem graviter incusans ab illo impetravit, ut sibi aliquamdiu in terras redire liceret uxoris puniendae causa. At in lucem redux fidem frustratus ad inferos non revertit, sed res suas secure agebat, donec Mercurius, omnium domitor, eum iterum ad inferos abduxit.

Cum his fabulis Herculis personam non posse commode conciliari apparet. Neque Euripides Aeschyli vestigia sequi amavit, immo adeo vitavit, ut, quae ille argumenta tractavisset, novo modo elaborare soleret. Quare revertendum est ad Schoellii rationem.

§. 7.

De tetralogici nexus conjectura.

Tetralogicum nexum h. e. argumentorum perpetuitatem huic didascaliae Troicae Adolphus Schoellius tribuit. Qui in eo libro, quem de tetralogiis Euripideis et Sophocleis scripsit[37]), primum sententiae unitatem

37) Cui libro hic est titulus: Beiträge zur Geschichte der griechischen Poesie Th. I. B. I. Berlin 1839.

quum omnibus tetralogiis Euripideis tum huic tetralogiae Troicae vindicavit, deinde huic tetralogiae praeter ceteras argumentorum perpetuitatem, sive hoc vocabulum displiceat, nexum. Nempe ejusmodi nexum indicavit his locis: p. 47. *Im Alexandros wird der Urheber des Trojanischen Krieges zum Verderben seines Hauses gerettet; in den Troerinnen ist mit dem Ende des Krieges dies Verderben erfüllt, das Mittelstück, während der Belagerung spielend, entwickelt die Arglist dessen, der auch zu Ende des Krieges am meisten die Streiche des Verderbens lenkte (nämlich des Odysseus). Ein Zusammenhang ist dies immerhin, und wenn er an sich noch keine innere Verkettung darstellt, so schliesst er doch eine solche keineswegs aus.* Porro p. 68: *Also, das Bisherige zusammengefasst, zeigt uns die Schlusshandlung den Untergang der Troer durch die Achaeer und, aus ihm schon hervortretend, den der Achaeer selbst: die beiden vorhergehenden aber zeigten auf beiden Seiten jene Blindheit im Urtheil und vermessene Raschheit im Handeln, die hier und dort solchen Untergang vorbereiteten. Darin hat das Ganze seine Einheit. Beide Dramen verhalten sich zum dritten, wie Schuld zum Gericht.* Quae Schoellii ratio hac forma illustrari potest:

I. Trojanorum culpa.
II. Achivorum culpa.
III. Utrorumque pernicies [38]).

38) Duplex ergo argumentum Schoellius statuit in eadem trilogia confusum, quemadmodum multae tragoediae διπλοῦν μῦθον habent. Quem ad Arist. Poet. XIII, 6, ubi τῷ ἁπλῷ opponitur, sic explicat G. Hermannus: *Μῦθος ἁπλοῦς hoc loco dicitur is, in quo unice de ejus fortuna decernitur, qui primas in fabula partes tenet; διπλοῦς autem, in quo non solum de hujus fortuna, sed etiam de illorum, qui huic oppositi sunt.* Hoc a

At primum apparet inter primam et secundam tragoediam nullum intercedere nexum, nisi forte unitas loci satis est ad trilogicum nexum. Neque enim prima fabula interitum Palamedis praeparat, sed omne bellum Trojanum. Deinde ne inter secundam quidem tragoediam et tertiam nexum intercedere dixerim. Etenim perniciem Achivorum Neptunus et Minerva decernunt non Palamedis ulciscendi causa, sed propter scelus Ajacis:

V. 69. *ΑΘ. οὐκ οἶσθ' ὑβρισθεῖσάν με καὶ ναοὺς ἐμούς;*
ΠΟΣ. οἶδ', ἡνίκ' Αἴας εἷλκε Κασάνδραν βίᾳ.
ΑΘ. κοὐδέν γ' Ἀχαιῶν ἔπαθεν οὐδ' ἤκουσ' ὕπο.
ΠΟΣ. καὶ μὴν ἔπερσάν γ' Ἴλιον τῷ σῷ σθένει.
ΑΘ. τοιγάρ σφε σὺν σοὶ βούλομαι δρᾶσαι κακῶς.
ΠΟΣ. ἕτοιμ' ἃ βούλει τἀπ' ἐμοῦ. δράσεις δὲ τί;
ΑΘ. δύςνοστον αὐτοῖς νόστον ἐμβαλεῖν θέλω.

Neque iis verbis Neptuni, quibus commemorat Caphareos scopulos [39]), tantum ego tribuerim, quantum Schoellius p. 63. Sane vero illa celebre naufragium,

---

tragoedia ad hanc trilogiam Schoellius transfert, quippe qui in extrema fabula de fortuna et Trojanorum et Achivorum decerni dicat. Nam Trojanorum interitum prima fabula praeparatum esse putat, Achivorum perniciem secunda. Quod postremum non concedo, et, si concederem, tamen de trilogia dubitarem. Etenim ad veram trilogiam mihi utique necessarium esse videtur, ut primae partes actionis ab initio usque ad finem penes eandem personam aut familiam aut gentem maneant.

39) v. 88. . . . . *ταράξω πέλαγος Αἰγαίας ἁλός.*
ἀκταὶ δὲ Μυκόνου Δήλιοί τε χοιράδες
Σκῦρός τε Λῆμνός θ' αἱ Καφήρειοί τ' ἄκραι
πολλῶν θανόντων σώμαθ' ἕξουσιν νεκρῶν.

quod Graeci, Nauplii dolo decepti, ad Capharea saxa fecerunt, ostendunt, sed ad secundam tragoediam ibi non referuntur. Quod aut fieri debebat, aut nexus fabularum omnino latebat. Neque enim Nauplius, quemadmodum Schoellius opinatur, in fine proximae tragoediae dolum suum et Caphareum naufragium praedixit, quippe qui tempestatem futuram praevidere non posset. Quin immo verisimile non est, Nauplium in Palamedis tragoedia ipsum productum esse [40]). — Neque referenda sunt ad secundam tragoediam, quae Cassandra v. 427 sqq. canit de Ulixis calamitatibus futuris his verbis;

σὺ (Ταλθύβιε) τὴν ἐμὴν φῂς μητέρ' εἰς Ὀδυσσέως
ἥξειν μέλαθρα; ποῦ δ' Ἀπόλλωνος λόγοι,
οἵ φασιν αὐτὴν εἰς ἔμ' ἡρμηνευμένοι
αὐτοῦ θανεῖσθαι; τἄλλα δ' οὐκ ὀνειδιῶ.
δύστηνος, οὐκ οἶδ' οἷά νιν μένει παθεῖν.

Ulixis aerumnas Cassandra non ad ejus improbitatem refert tanquam poenas, sed comparat Ulixis sortem cum sorte Hecubae, quae serva illi obtigerit. Ulixem non improbum vocat, sed miserum, *δύστηνον*. Atque illa intexuit Euripides, quia omnino sortem Achivorum cum sorte Trojanorum comparat.

At Schoellius p. 47. ait: *Das Mittelstück entwickelt die Arglist dessen, der auch zu Ende des Krieges am meisten die Streiche des Verderbens lenkte.* Quae mihi ratio admodum contorta videtur. Quid enim? Palamedis tragoediam num eo consilio scriptam et inter primam et extremam interpositam esse dicemus, ut is vir cognosceretur, qui postea in miseras Troades saeviit? Immo

40) Negat etiam Welckerus. Suppl. Mus. Rh. 2,510.

vero improbitas Ulixis, qua Palamedem aemulum pessumdedit, uberius illustratur, quam postea crudelitas, qua Astyanactem necandum censuit. Hanc duo tantum versus exprimunt v. 716 et 718. Obiter igitur Euripides Ulixis in Astyanactem crudelitatem descripsit, quum Sophocles in *Αἰχμαλωτίσιν* totam tragoediam ad eum cardinem retulerit. Cf. Welcker. Suppl. Mus. Rh. 2, 171. Quamobrem nego Palamedem Troadum causa scriptum esse. Neque in Troadibus loci insunt, qui ad Palamedem respiciant.

V. 281.

Hecuba:

ἰώ μοί μοί.
μυσαρῷ δολερῷ τε λέλογχα φωτὶ δουλεύειν
πολεμίῳ δίκας, παρανόμῳ δάκει,
ὃς πάντα τἀκεῖθεν ἐνθάδ'
ἀντίπαλ' αὖθις ἐκεῖσε διπτύχῳ γλώσσᾳ
φίλα τὰ πρότερ' ἄφιλα τιθέμενος πάντων.

Haec non solum ad eam fraudem Ulixis referuntur, qua Palamedem interemit, sed ad omnem ejus fraudulentiam. Quamquam verisimile est, spectatores tum Palamedis interitum praecipue recordatos esse. Neque alii loci inveniuntur, qui magis ad Palamedis tragoediam referantur.

Restat igitur solus nexus, qui inter primam et extremam fabulam intercedit. Quem Schoellius primum duobus Troadum locis probat, qui respiciant ad Alexandrum. At isti loci non tam ad Alexandri tragoediam respiciunt, quam ad ea, quae eam tragoediam multis annis praecesserunt. Scilicet Andromacha Troad. v. 590. haec dicit:

. . . . . . τάδε πάσχομεν ἄλγη,
οἰχομένας πόλεως, ἐπὶ δ' ἄλγεσιν ἄλγεα κεῖται,
δυςφροσύναισι θεῶν, ὅτε σὸς γόνος ἔκφυγεν ᾅδαν,
ὃς λεχέων στυγερῶν χάριν ὤλεσε Πέργαμα Τροίας.

Et Helena v. 919:

πρῶτον μὲν ἀρχὰς ἔτεκεν ἥδε τῶν κακῶν
Πάριν τεκοῦσα· δεύτερον δ' ἀπώλεσε
Τροίαν τε κἄμ' ὁ πρέσβυς, οὐ κτανὼν βρέφος,
δαλοῦ πικρὸν μίμημ', Ἀλέξανδρόν ποτε.

Quibus conferendus est locus Andromachae v. 294:

εἴθε δ' ὑπὲρ κεφαλὰν ἔβαλεν κακὸν
ἅτις τέκεν ποτὲ Πάριν,
πρὶν Ἰδαῖον κατοικίσαι λέπας,
ὅτε νιν παρὰ θεσπεσίῳ δάφνᾳ
βόασε Κάσανδρα κτανεῖν,
μεγάλαν Πριάμου πόλεως λώβαν.
τίν' οὐκ ἐπῆλθε, ποῖον οὐκ ἐλίσσετο
δαμογερόντων βρέφος φονεύειν;

Statim igitur post partum puerum occidendum esse cecinit Cassandra, postea vero eum regia recipi vetuit. Et illud quidem respiciunt isti Troadum loci. Neque tamen ego omnino nexum quendam inter primam et extremam fabulam intercedere nego. Haud dubie enim prologus Alexandri illud somnium Hecubae continebat, et in fine fabulae Cassandra illud ipsum illustrabat vaticiniis suis. Et quoniam Troades incendium Trojae ostendunt illa face significatum, nec non reliquorum vaticiniorum veritatem, nexus primae et extremae fabulae negari non potest; sed externus est nexus. Nihil enim interfuit Euripidis, ut oraculorum veritatem probaret [41].

41) Quod quum ex tota Troadum tragoedia, tum ex ea scena patet, in qua Helena culpae suae convincitur. Ubi non Paris omnium auctor malorum nuncupatur, sed Helena.

sed quum Alexandrum scripsisset, semina belli Trojani continentem, in mentem ei venit, finem hujus belli tragoediae aptissimum peculiari fabula illustrare. Palamedem autem propter temporum ordinem inter eas interposuit. Qui si trilogiam componere voluisset, aliter rem instituisset. Etenim si spectamus Troades, extremam didascaliae tragoediam, et Alexandrum, initium ejus, summa trilogiae nulla alia esse potuit, quam aut fatum Trojae urbis aut fortuna Priamidarum. Cui etiam media fabula convenire debebat. At Euripides medio loco Palamedem posuit, quum rem, quae magni momenti ad perniciem Trojae esset, exprimere deberet, velut necem Hectoris. Quin etiam quamvis pugnam Trojani belli tragoediae argumentum facere poterat, quo saltem belli imaginem nobis ob oculos poneret. Palamedes autem nullo modo in trilogicum nexum quadrat, nisi forte hac ratione trilogiam efficere velis. Contra oraculum servatur Alexander, fax Trojani belli; deinde Achivi, Ilium obsidentes, quum in eo sint, ut Palamedi reditum suadenti, obtemperent, Ulixis fraude, qua Palamedem e medio tollit, retinentur; postremo Ilium post decem annorum obsidionem captum incenditur. At haec quoque ratio laborat. Nam licet Palamedem ad fortunam Trojae referat, tamen non impedit, quin illam tragoediam trilogico nexui refragari dicamus, quippe quae spectatorum animos a rebus Trojanorum h. e. a summa trilogiae nimis distrahat et avertat. Certe Troibus si non omnes, tamen quasdam actionis partes esse oportebat. Quae quum ita sint, neminem fore puto, qui tetralogicum nexum harum fabularum evincat. Quod si quis ne Schoellium quidem ejusmodi nexum statuisse putet, is legat hos locos p. 122. *Das Bisherige erhärtet*

das Gesammtresultat einer wirklichen Verknüpfung dieser Dramen des Euripides: einer Verknüpfung der Tragödien unter sich, nach Folge der Handlung und Wiederholung der Motive. Ambigue istud quidem dixit, sed collata p. 166., nemo dubitabit, quin unius actionis seriem intelligat. P. 166: *Die beiden letztern Beispiele (die Pandionis des Philocles und die Oedipodee des Meletos) geben eine epische Zusammenfassung in dem Ring einer Fabel zu erkennen. Diese haben wir bei Euripides in der Troaden-Didascalie auch, aber untergeordnet einer apologetischen Disposition*[42]. Adde p. 64: *Erfüllung des ersten Stücks ist das Schlussdrama als Untergang der Priamiden-Macht, in Folge der Verblendung, die das erste zeigte; Fortsetzung des zweiten als nahender Untergang der Archäer-Macht, in Folge der blinden Härte, die das zweite zeigte.* Denique Schoellius, id quod gravissimum est, summam sententiae suae sic conclusit, ut doceret, tribus illis fabulis conjunctis exprimi magnum et inter hominum vecordiam immotum constansque fatum[43]; quae est integra fere trilogiae definitio.

---

42) His extremis verbis, metuo, ne Schoellius sibi ipse repugnet. Nam aliis locis summam sententiam trilogiae in fabularum nexu posuit, velut p. 68, quem locum supra p. 26. adscripsi.

43) p. 55: *Was das erste und dritte Stück, zusammengehalten, darstellen; den Uebergriff eines consequenten Schicksals über menschliche Verblendung: kann man füglich schon eine innere Einheit nennen, weil es die Vorgänge beider Stücke gleich sehr bestimmt, und den wahren Sinn derselben erst aus der Verbindung erhellen lässt, die an ihnen selbst bezeichnet ist. Nun fragt sich aber, ob auch an dem Mitteldrama ein Verhältniss zu diesem innern Gedanken wahrnehmbar sei.*

Ohne ein solches Verhältniss müsste es als ein blosses Intermezzo erscheinen, und könnte von einer dichterischen Einheit der ganzen Didascalie nicht mehr die Rede sein. Aber dass dieses

Jam vero de ea trilogiae ratione dicendum est, quam omnino Euripidis propriam fuisse arbitratur Schoellius. Nempe hanc ejus in tetralogiis componendis rationem fuisse existimat, ut unam sententiam sive unum rerum genus quatuor fabularum argumentis illustraret similibus aut saltem ea argumenta sic institueret, ut pluribus locis similia essent. Sic Euripidem putat in ea tetralogia, quae Cressas, Alcmaeonem in Psophide, Telephum cum Alcestide continebat, mulierum virtutes ac vitia illustrasse, in illa vero, in qua Medea Philoctetam, Dictyn et Σατύρους θεριστάς antecedebat, agi de vi gentilis communitatis et peregrinorum conditione. Haec num recte statuerit, meum non est, examinare, sed de didascalia seu tetralogia Troica videndum est, num ad eam explanandam haec ratio sit adhibenda. In illa didascalia observat Schoellius per omnes tragoedias conspicuam esse temeritatem quandam judicandi. P. 65: *Das erste Drama stellte bei dem Uebermuthe der Priamiden, in ihrem jähzornigen Verfahren gegen den Hirten, ihre Blindheit dar, indem sie um ein Kleines den leiblichen Bruder getödtet hätten.* Quae deinde Schoellius addit de Helenae rapiendae consilio, quod Paris et reliqui, neglectis Cassandrae vaticiniis, communicaverint, ea vix puto in hoc dramate infuisse. De Palamede autem Schoellius sic disserit p. 66: *Ein Urtheil eben so blind, so übereilt und so verderblich, ist auch der Gegenstand des zweiten Drama, wo die Achaeer über Palamedes Leben entscheiden.* Neque a tertia fabula pravitatem judicii abesse dicit. Media in ruina et per-

---

geforderte Verhältniss wirklich Statt gefunden habe, wird in dem Grade wahrscheinlicher, als man mit Aufmerksamkeit die Anlage der Troaden betrachtet.

nicie, quae Cassandrae vaticiniorum veritatem horrendum in modum probent, Hecubam et Troades parum attendere ad ea, quae vates illa pronuntiet. Quibus si fidem haberent, multum inde solatii iis redundaturum fuisse dicit. At ista mentis caecitas divinitus iis erat inmissa. Quare mala, quibus obruebantur, poenae ejus caecitatis esse non poterant. De similitudine primae et secundae tragoediae, comparari quidem possunt Priami et Achivorum judicia, sed tamen ea ipsa inter se multum differunt. Priamus enim Deiphobi oratione facunda et acri paene permovetur, ut filium occidi sinat; Achivi contra non verbis modo Ulixis credunt, sed etiam indiciis, quae paene certa videbantur. Porro Deiphobus aperte Alexandro perniciem afferre conatur, Ulixes tecte insidias struit Palamedi. Nihilo minus tamen similitudinem quandam fabularum concedo. Sed quum tertia fabula ad eam similitudinem non accedat, ne hac quidem ratione unitas quaedam tetralogiae effici potest.

Restat, ut de ea ratione dicam, qua Schoellius Sisyphum Satyricum cum trilogia conjunxerit. Sisyphum ab Euripide electum esse censet ob eximiam calliditatem, qua Ulixem aequaret. Sane vero Sisyphus poetis jam inde ab Homero[44]) perfectum calliditatis erat exemplum, et Ulixem ob eam similitudinem tragici interdum Sisyphi filium fecerunt. Quare Euripides ut in Palamede et Troadibus Ulixem fecit vincentem calliditate sua, ita in fabula Satyrica Sisyphum, pari virum calliditate, expressit victum et scelerum poenas solventem. *In den*

---

44) Hom. Il. VI, 153:

ἔστι πόλις Ἐφύρη, μυχῷ Ἄργεος ἱπποβότοιο,
ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν, ὃ κέρδιστος γένετ᾽ ἀνδρῶν.

Trägoedien liess Euripides die Lügenkunst und Tücke siegreich wirken, mit bitterer Ironie; in dem Satyrspiel den endlichen Lohn finden, mit poetischer Gerechtigkeit. Schoellius l. l. p. 121. Et in his quidem Schoellius mentem Euripidis, qui tragoediarum severitatem, ne dicam acerbitatem, hilaritate fabulae Satyricae temperare voluit, assecutus esse mihi videtur.

§. 8.

De civili Euripidis consilio.

Incidit commissio Troicae didascaliae in tempora belli Peloponnesiaci. Quod bellum interdum summa crudelitate gestum est et ab Atheniensibus et a Lacedaemoniis sociisque eorum. Lacedaemoniorum maxime insignis fuit crudelitas et perfidia [45]) in Plataeenses, quos Ol. 88, 2 in deditionem venientes in fraudem pactionis ad unum omnes necaverunt. Athenienses autem pari crudelitate Ol. 89, 3 consuluerunt in Toronaeos [46]) et aliquot annis post in Scionen [47]). Sed novissimum ac

45) Tb. 3, 52. *προςπέμπει (ὁ Λακεδαιμόνιος) αὐτοῖς κήρυκα λέγοντα, εἰ βούλονται παραδοῦναι τὴν πόλιν ἑκόντες τοῖς Λακεδαιμονίοις καὶ δικασταῖς ἐκείνοις χρήσασθαι, τούς τε ἀδίκους κολάζειν, παρὰ δίκην δὲ οὐδένα . . . . . . οἱ δὲ παρέδοσαν . . . . καὶ τοὺς Πλαταιέας ἔτρεφον οἱ Λακεδαιμόνιοι ἡμέρας τινὰς, ἐν ὅσῳ οἱ ἐκ τῆς Λακεδαίμονος δικασταὶ πέντε ἄνδρες ἀφίκοντο. ἐλθόντων δὲ αὐτῶν κατηγορία μὲν οὐδεμία προετέθη, ἠρώτων δὲ αὐτοὺς ἐπικαλεσάμενοι τοσοῦτον μόνον εἴ τι Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς ξυμμάχους ἐν τῷ πολέμῳ τῷ καθεστῶτι ἀγαθόν τι εἰργασμένοι εἰσίν* . . . . . c. 68. *αὖθις τὸ αὐτὸ ἕνα ἕκαστον παραγαγόντες καὶ ἐρωτῶντες . . . . ὁπότε μὴ φαῖεν, ἀπάγοντες ἀπέκτεινον . . . . . γυναῖκας δὲ ἠνδραπόδισαν.*

46) Th. 5, 3.

47) Tb. 5, 32..

fere maximum crudelitatis exemplum Athenienses proxima hieme ediderant caede Meliorum. Melii, libera civitas, Atheniensium imperium, cui reliquae insulae parebant, diu recusaverant. Erant enim coloni Lacedaemoniorum, qui adversus cognatos suos sub Atheniensium imperio minime vellent pugnare. Neque tamen Lacedaemonios armis adjuverant, sed neutras partes in bello Peloponnesiaco sequebantur. Quod aegre ferentes Athenienses Ol. 90, 4 in insulam eorum cum valido exercitu venerunt et legatos in urbem miserunt, qui in hunc fere modum verba fecerunt [48]): *Venimus, Melii, obsequium vestrum postulantes non specioso aliquo sub titulo aut longa oratione, sed sperantes, vos majoribus viribus esse concessuros. ,Nolite igitur Lacedaemoniorum cognationem obtendere aut id urgere, quod nulla a vobis nostrae civitati illata sit injuria. Neu credite quidquam vos profecturos esse, si ad aequum jus provocetis, quod ipsi scitis inter homines non valere nisi inter pares. Quare concedite postulatis nostris, utpote impares, qui necessitati resistatis.* Ad quae respondentes Melii quum monerent, non semper exitus bellorum majoribus viribus esse prosperos, quare spem sibi esse, fore, ut, si civitatis suae vetustam septingentorum annorum libertatem armis defenderent, dii, qui aequum jus tuerentur, sibi essent auxilio: Athenienses eos hortati sunt, ut ne in diis spem ponerent, qui res humanas ita constituissent, ut fortior imbecilliori imperaret, neve in Lacedaemoniis, qui, etiamsi honestum sit socios tueri, insulam longinquam parum curarent. Haec professi sunt Athenienses precibus Meliorum pacem ac foedus quodcunque petentium nihil mitigati. Jam ulti-

48) Cf. Th. 5, 85 - 111.

mum rogatos Melios, num se subjicere vellent, obsidione clauserunt, obsessosque, quamvis fortiter resisterent, post aliquot menses ad deditionem coegerunt. *Κατὰ κράτος ἤδη πολιορκούμενοι, γενομένης καὶ προδοσίας τινὸς ἀφ' ἑαυτῶν ξυνεχώρησαν τοῖς Ἀθηναίοις, ὥστ' ἐκείνους περὶ αὐτῶν βουλεῦσαι. οἱ δὲ ἀπέκτειναν Μηλίων ὅσους ἡβῶντας ἔλαβον, παῖδας δὲ καὶ γυναῖκας ἠνδραπόδισαν. τὸ δὲ χωρίον αὐτοὶ ᾤκησαν, ἀποίκους ὕστερον πεντακοσίους πέμψαντες.* Qua atroci brevitate Thucydidis ad efferendam saevitiam Atheniensium nihil potest esse acerbius.

Acta haec sunt hieme Ol. 91, 1. Verum insequente aestate Athenienses eadem fere crudelitate, qua in Melios consuluerant, in suos ipsorum cives saevierunt. Ineunte vere Ol. 91, 1, quum legati Segestam missi ex Sicilia rediissent, Athenienses expeditionem in Siciliam facere decreverunt. Quae dum paratur amplissimis opibus, accidit, ut una nocte Hermae, quorum magna multitudo in urbe Athenarum erat, ferme omnes clam truncarentur. Magnus inde pavor civitatem incessit, obscuro facinore; nec solum angebantur, ne classis sua malo alite exitura esset, sed etiam propter magnitudinem facinoris magnam multorum conjurationem timebant ad evertendum popularem statum reipublicae pertinentem, quam opinionem diligenter quidam homines alebant.

Convocata extemplo concione, senatui hac de re plena agendi datur potestas, creantur *ζητηταὶ* investigando sceleri, praemiaque iis decernuntur, qui indicium facerent. Deinde nemine prodeunte ad indicium, quum jam alii ab aliis in suspicionem vocarentur, insuper decernitur, ut, quicunque aliud impietatis crimen nosset, id deferret impune praemiumque acciperet. Tum qua-

tuor factae sunt delationes. Primum Pythonicus in concionem Andromachum servum produxit, qui Alcibiadem deferebat de profanatis Cereris mysteriis. Secutae sunt delationes Teucri inquilini, Agaristae mulieris, Lydi servi [49]. Ex quibus Teucer non solum de mysteriis, sed etiam de mutilatis Hermis plures indicavit; qui statim ex urbe aufugerunt. Alcibiades autem, quod imperator classis publico munere fungebatur, *εἰςαγγελίᾳ* postulatus ab Androcle [50], in concione, ubi deliberabant, num causa ejus cognoscenda esset, nec ne, inimicis ejus cognitionem acriter postulantibus, subito surrexit ipse judicium postulans. Quo inimici obstupefacti quum timere coepissent, ne res male cederet, quosdam oratores subornant, qui rem dissuadeant. Obloquitur Alcibiades, sed frustra. Causae cognitio usque ad reditum classis rejicitur. Nihilo minus tamen, postquam classis exiit, duo inquisitorum, Pisander et Charicles, qui eo tempore studiosissimi plebis habebantur, auctores facti sunt, quod istud facinus haud paucorum esset, sed ad status popularis eversionem pertineret, plures adhuc quaesitores

49) Haec omnia Andocides refert in oratione *περὶ μυστηρίων* inscripta. Thucydides 6, 27 ea sic comprehendit: *Ἑρμαῖ μιᾷ νυκτὶ οἱ πλεῖστοι περιεκόπησαν τὰ πρόσωπα. καὶ τοὺς δράσαντας ᾔδει οὐδείς, ἀλλὰ μεγάλοις μηνύτροις δημοσίᾳ οὗτοί τε ἐζητοῦντο καὶ πρόσετι ἐψηφίσαντο καὶ εἴ τις ἄλλο τι οἶδεν ἀσέβημα γεγενημένον, μηνύειν ἀδεῶς τὸν βουλόμενον καὶ ἀστῶν καὶ ξένων καὶ δούλων . . . . μηνύεται οὖν ἀπὸ μετοίκων τέ τινων καὶ ἀκολούθων περὶ μὲν τῶν Ἑρμῶν οὐδέν, ἄλλων δὲ ἀγαλμάτων περικοπαί τινες πρότερον ὑπὸ νεωτέρων μετὰ παιδιᾶς καὶ οἴνου γεγενημέναι, καὶ μυστήρια ἅμα ὡς ποιεῖται ἐν οἰκίαις ἐφ' ὕβρει· ὧν καὶ τὸν Ἀλκιβιάδην ᾐτιῶντο.* — Quibus confirmari vides Andocidis narrationem.

50) Plut. Alc. 19.

creari et a quaerendo non prius desisti, quam ulcus hoc funditus esset exstirpatum [51]). Decrevit senatus ex eorum sententia. Quo telum nacti, quo perderent, quemcunque odissent, quaestiones exercere saevissime, reum quemlibet delatum recipere, persequi omnes, qui liberius de rebus divinis sentirent, inprimis vero eos, qui cum Alcibiade vel cognati vel familiaritate conjuncti essent. Multi nobilissimorum civium in vincula conjecti sunt [52]); tota civitas trepidabat, unoquoque de se metuente. Tum Dioclides quidam malis hisce reipublicae illectus ultro ad senatum intronuntiavit, sese nosse, qui Hermas mutilassent. Interrogatus, ex trecentis, quos illa nocte vidisset lunae luce collustratos XLII nominavit; qui statim comprehensi sunt. Ingenti perturbatione orta, quam exercitus Lacedaemoniorum ad Atticae fines appropinquans magnopere auxit, populus per totam noctem in armis mansit metuens et impetum Lacedaemoniorum et proditionem urbis. Tum Pisander in senatu auctor factus est, quo citius tota conjuratio deprehenderetur, ut decretum sub archonte Scamandrio factum, quod civem per tormenta interrogari vetabat, rescinderetur. At postero die unus eorum, qui in custodia erant, Andocides, hortante Charmide consobrino, ultro se indicem professus est eorum, qui scelus perpetrassent. Indicavit praeter multos a Teucro jam delatos, qui partim occisi erant, partim aufugerant, quatuor viros nobiles, qui omnes in Euphileti ἑταιρίᾳ [53]) fuerant; se ipsum et

51) Andoc. myst. §. 36.

52) Thuc. 6, 53.

53) *Erant Athenis quaedam sodalitates, quibus adscripti cives mutuam inter sese operam dabant consequendis honoribus*

cognatos suos culpa purgavit Dioclidem mendacii convincens. Qui quum confutatus esset, ut vitam suam servaret, indicavit eos, qui auctores sibi fuissent, illius indicii faciendi, Alcibiadem Phegusium, patruelem Alcibiadis majoris, et Amiantum Aeginetam. Qui statim fuga se subtraxerunt; quo facto Dioclides mortis poenam subiit. Jam etsi quaestio de Hermis confecta esse videbatur, tamen manebat in populo gravis in Alcibiadem suspicio. Qua opportunitate quum inimicis ejus utendum esse videretur, Thessalus, Cimonis filius, eum iterum reum fecit et de inita conjuratione et de mysteriis pollutis. Itaque Salaminia triremis in Siciliam missa est ejus arcessendi causa. Sed ille in itinere aufugit, et, quum audivisset, ab Atheniensibus se damnatum et morti addictum esse, ad Lacedaemonios se contulit, Atheniensibus, ut ajebat, ostensurus, sese etiamnunc vivere.

Haec exponenda erant, ut in Euripidis Troica didascalia quae ad illa tempora reipublicae Atheniensis spectare viderentur, facilius explicari possent atque intelligi. Perstringit enim Euripides in hac didascalia et judiciorum temeritatem et crudelitatem belli, quod tum gerebatur.

Alexandri tragoediam quaestionem continuisse vidimus certaminum victori ab obtrectatoribus invidis conflatam. In qua quaestione divites ac nobiles contendebant ad-

---

et in judiciis sibi invicem aderant. Goellerus ad Thuc. 8, 54. Quas *ξυνωμοσίας ἐπὶ δίκαις καὶ ἀρχαῖς*, ut appellat Thucydides, inprimis nobiliores ac beatiores cives inierunt, sed *ἑταιρίας* vocabant legitimo vocabulo; nam *ἑταιρία* proprie est *φιλία κατὰ συνήθειαν ἐν τοῖς καθ᾽ ἡλικίαν γεγενημένοις*, Cf. Droysenii de Hermocopidis dissertationem egregiam in Mus. Rhen. 1836.

versus pauperes et ignobiles. Atque accusatorum vehementia et vociferatione paene factum est, ut Priamus Alexandrum, certaminum victorem eundemqûe ducem ignobilium hominum .capite damnaret. Horum accusatorum similes fuerunt Alcibiadis accusatores, qui eum pari ardore in capitis periculum adducebant [54]). Nec non ipse Alcibiades multa habuit, in quibus cum Alexandro conferri posset. Quem non solum corporis dignitate aequabat, sed etiam alacritate ingenii, sermonis suavitate, animi fortitudine et audacia. Praeterea Alcibiades apud populum gratia valde potens quodammodo dux erat plebejorum, quum accusatores ejus ex nobilium factionibus essent. Quid quod Alcibiades et ipse ludicras victorias reportaverat ex Olympiis. Et expeditionis in longinquam terram suscipiendae auctor hac re et ipsa Alexandrum aequavit forsitan aeque perniciosus civis patriae, atque ille [55]). Neque tamen Euripides Alcibiadem Alexandri persona plane expressit, neque exprimere voluit, sed plus ejus interfuit, ut judicium de Alcibiade habitum et omnem rerum publicarum statum in simili re describenda verbis suis interdum tangeret.

Nec non altera tragoedia, *Palamedes*, turbulenta illa judicia, quae Hermarum truncationem secuta sunt, respiciebat atque illustrabat. Palamedem jam Heynius Excurs. IV* ad Virg. Aen. II. suspicatus est apud tragicos repraesentasse virum justum, constantem, sapientem, quem cives injusti et ingrati pro beneficiis acceptis injuria et maledicentia persequerentur, Ulixem vero personam induisse demagogi perniciosis artibus popularem

54) Cf. Schoell. l. l. p. 116.

55) In Phoenissis quoque Euripides Alcibiadem respicit.

auram captantis. Quales demagogos in illis judiciis, quae post Hermas mutilatos instituta sunt, plures vidimus prava sedulitate omnem rempublicam turbantes et nobilissimo cuique, si ambitioni eorum obstaret, periculum intendentes. Horum quem Euripides, quum Ulixis personam describeret, maxime ob oculos habuerit, difficile quidem est dictu, sed, si conjecturam facere licet, Pisandrum aut Chariclem suspicatus sim, qui illam judiciorum pestem et primi civitati intulerunt et illatam valde auxerunt. Namque Pisander statim primis comitiis, quum quaestiones de scelere commisso institui placuisset, quo magis eae quaestiones acuerentur, praemium X millium drachmarum ei decernendum rogavit, qui indicium fecisset. Idem tum ζητητὴς creatus est publice cum Charicle, Cleonymo, aliis. Nimirum populus ex horum vociferatione ac furore sinceritatem studiorum cognoscebat. Et quomodo quaestiones exercuerint, ex eo intelligimus, quod, quicunque deferebatur, statim fuga salutem quaesivit, quam rem narrat Andocides. Inter haec classis solvit in Siciliam et Alcibiades, quem ducem conjuratorum fuisse rumoribus spargebant, urbem reliquit. Verumtamen ne tum quidem Pisander et Charicles finem inquirendi facere voluerunt, sed eadem severitate, qua antea, quaestiones continuabant, immo etiam crudelius exercebant. Tum Dioclides famosum fecit indicium XLII civium nominibus delatis. Extemplo Pisander auctor exstitit in senatu, ut decretum Scamandrii rescinderetur, qui erat novus capitalium quaestionum stimulus. Quae deinde plures menses durabant necdum plane finita erant, quum acta est Troica didascalia.

Jam vero si quaeritur, utrum Euripides, quum Ulixem describeret, magis ob oculos habuerit Pisandrum an

Chariclem, Pisandrum potissimum imitatus esse videtur, quippe qui demagogus longe potentior fuerit, quam Charicles. Pisandrum ut demagogum saepe traducunt comici poetae, v. c. Aristophanes in Avibus, neque vero Chariclem, qui optimatium unus fuisse videtur. Quare postea eum in XXX tyrannorum numero invenimus. Pisander autem tum multum valebat et apud populum, et apud optimates, atque is ipse non multo post cum Antiphonte, Phrynicho, Theramene Quadringentorum imperium constituit. Quo tempore tam audacem et strenuum se gessit, ut comicis, qui eum, quod aliquando militiam detrectavit, tanquam timidum saepe traducunt, fidem habere dubitemus. Erat homo vasto corpore, satis disertus, ut videtur, sollers, strenuus, sed ambitiosus ac perfidus. Cui comici poetae si timidum animum tribuebant, qui in ingenti corpore habitaret, magnum risum populo praebuerunt, veritatis parum curiosi. Hujus taxandi causa Euripides Ulixem fecit demagogum. Quem induxit verba facientem non solum in consilio regum, sed etiam coram Achivorum exercitu, quem repraesentabat chorus. Atque illos falsa oratione in tantum furorem accendit, ut Palamedem reum ab Agamemnone damnatum lapidarent statim. Pari modo Ulixes describitur in Troadibus, v. 714 sq., ubi Talthybius decreti, quod Astyanactem interfici jubebat, Ulixem auctorem fuisse narrat.

Νικᾷ δ' Ὀδυσσεὺς ἐν Πανέλλησιν λέγων.

Πανέλληνας concionem exercitus indicare puto, non regum consilium. Quemadmodum igitur Ulixes prava consilia Achivis suppeditabat, atque optimum exercitus virum falsis criminibus subvertebat, sic Atheniensium populum

demagogi ad injusta judicia ferenda inducebant et ad saeva impellebant decreta.

Verum quemnam ipsius Palamedis persona Euripides expressit? Schoellius censet sophistam significari, fortasse principem sophistarum, qui tum florebant, Protagoram. Sophistae, quod liberius de diis sentirent, Atheniensibus dudum suspecti, nunquam sine periculo Athenis versabantur. Exstabat enim populi scitum Diopithe auctore factum Periclis tempore, *εἰςαγγέλλεσθαι τοὺς τὰ θεῖα μὴ νομίζοντας ἢ λόγους περὶ τῶν μεταρσίων διδάσκοντας.* Itaque subinde nonnulli illorum accusati et damnati sunt. Sed multum augebantur eorum pericula turbidis temporibus, ubi animi Atheniensium commoti ac turbati ad suspicionem essent propensiores. Tum creberrimae accusationes, plurimi casus hominum literatorum. Quod illo quoque tempore usu venisse, ex quibusdam vestigiis apud Aristophanem intelligimus. Cf. Av. 1072 et 1694. Protagoram autem, qui diu Athenis vixit et in magna auctoritate erat apud Athenienses, ob libri alicujus initium accusatum esse scimus. Jam metuens ultimum supplicium Athenis fugit et in itinere periit. Diogenes Laertius 9, 8, 3 verba ipsa tradit, ob quae damnatus est: *Περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, εἴθ' ὡς εἰσίν, εἴθ' ὡς οὐκ εἰσίν. πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι, ἥ τε ἀδηλότης καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου.* Idem tradit paullo infra: *φησὶ δὲ Φιλόχορος, πλέοντος αὐτοῦ ἐς Σικελίαν, τὴν ναῦν καταποντισθῆναι, καὶ τοῦτο αἰνίττεσθαι Εὐριπίδην ἐν τῷ Ἰξίονι.* Hujus mortem quemadmodum in Ixione Euripides significaverit, sic accusationem et damnationem in Palamede illustrasse Schoellius censet. Aptissime vero, ait, Palamedem, quem ipsi sophistae conditorem artis suae praedicabant, elegit,

in quo Protagorae, principis sophistarum ac familiaris sui, interitum illustraret. Cui sententiae valde favent illi versus, qui postea ad Socratem relati sunt

Ἐκάνετε, ἐκάνετε τὰν πάνσοφον, ὦ Δαναοὶ,
Τὰν οὐδὲν ἀλγύνουσαν ἀηδόνα Μουσᾶν.

Enimvero non constat, Protagoram illo anno periisse, Ol. 91, 1., quam ob causam rem utpote dubiam in medio relinquo. Quamquam vel illud isti opinioni opitulatur, quod Protagoram Pisandri socius, qui postea cum eo in Quadringentorum collegio fuit, Pythodorus accusavit. Diog. Laert. 9, 8, 5. *κατηγόρησε δὲ αὐτοῦ Πυθόδωρος Πολυζήλου, εἷς τῶν τετρακοσίων.* Pari modo Ulixes per militem suum reum fecit Palamedem. Sed pergendum est ad reliqua.

Quemadmodum Alexander et Palamedes illa tempora, quibus docta est Troica didascalia, respiciebant, sic tertia quoque tragoedia ad ea spectat. *Troades* supra vidimus imaginem exhibere crudelis victoriae. Achivi, capto Ilio, postquam viros omnes occiderunt, crudeliter saeviunt in captivas mulieres. Hujus victoriae in bello Peloponnèsiaco multae fuerunt similes. Ut alia omittam, caesi sunt Plataeenses omnes ad unum, caesi mille Mitylenaeorum, caesi Scionaei, Toronaei, postremo crudelissime caesi Melii. Et periculum erat, ne, data occasione, eae caedes iterarentur. Inprimis vero metuendum erat Siculis, si diu resistentes Atheniensium iram moverent, ne eos excitarent, ut ferro et igni in se grassarentur. Harum rerum indignitate Euripides commotus miserationem et terrorem, quae tragoedia excitare debet, sic excitanda credidit, ut Athenienses a crudelitate deterrerentur. Expressit igitur in tragoedia sua captam urbem cum delubris vastatis, captivas mulieres de occisis mari-

tis, infantibus, parentibus plorantes, victores insolentia exsultantes, denique iratos deos, quorum iram victoribus perniciem allaturam esse necesse erat. Et re vera perniciem attulit; nam classem Achivorum in reditu interiisse fabulae narrant. At nonne aptius erat, tragoediam claudere ejus interitus descriptione, praesertim quum etiam ἡ τῶν παθημάτων κάθαρσις, quod summum est tragoediae officium, id requirere videretur. Nam miserarum Troadum fortuna, quod tragoediae argumentum est, ubi a duris victoribus abreptae ad naves deducuntur, nondum expleta nec justo modo finita est. Quarum morte melius tragoedia claudi poterat, quam profectione. In mari mortem, quam tantopere exoptant, num invenient, nec ne? Fortuna earum num sensim mitigabitur, an etiam durior fiet? Est quod quaeras haec in fine hujus tragoediae. Praeterea ad declarandam deorum iram multo gravior fuisset ea ratio, quae interitum impiorum victorum spectatoribus viva imagine ob ipsos oculos poneret. Quod cur Euripides omiserit, si anquiras, primum difficultas rei in scena repraesentandae praecipua causa fuisse videbitur. Nam etsi naves repraesentari poterant mari vectae, ut fiebat in fine *Helenae* et *Iphigeniae Tauricae*, tamen in hac tragoedia tota classis repraesentanda erat turbido mari jactata, nec quisquam aderat, qui in proscenio consistens rem procul conspectam verbis suis illustraret. Deinde vero etiam altera causa Euripidi fuisse videtur ejus exitus tragoediae faciendi. Nimirum acerbior videtur Troadum fortuna et crudelitas victoriae, si illae captivitatis conditione miserrimae ad servitutem abripiuntur, cujus finis incertus est. Quae si vere fuit mens Euripidis, recte hanc fabulam instituit; sin autem aliud ejus

consilium fuit, fatendum est, temere eum contra tragicae artis regulas peccasse. Quod quoniam haud verisimile est, ad illam, quam video unicam, singularis hujus tragoediae exitus explicationem revertimur.

APPENDIX.

De Troadon commissione.

1. *De scena fabulae.* In scena theatri Atheniensis portae a tergo erant tres, quarum media, aliquanto major, quam ceterae, vulgo *βασίλειος θύρα* vocabatur. Neque tamen in hac fabula porta erat regiae cujusdam, sed, quum castra Graecorum navalia interiorem scenam occuparent, ante illam portam tabernaculum Agamemnonis collocatum esse oportebat. Cujus ad fores tabernaculi initio tragoediae Hecuba conspiciebatur humi procumbens. V. 138. 39. *ὤμοι θάκους οὓς θάσσω σκηναῖσιν ἔφεδρος Ἀγαμεμνονίαις.* V. 37. *Ἑκάβην κειμένην πυλῶν πάρος.* Hinc colligitur, Agamemnonis tabernaculum ante mediam portam fuisse. Indicabat enim ea domum vel sedem primariae personae; quam qui ageret, inde aut prodire debebat, aut, si ab alia parte in scenam venisset, ea porta[1]) exibat. Atque primas

---

1) Velut Agamemnon in Aeschyli tragoedia, Oedipus in Colono apud Sophoclem, Hippolytus apud Euripidem. — Pollux 4, 124. *τριῶν δὲ τῶν κατὰ τὴν σκηνὴν θυρῶν ἡ μέση μὲν βασίλειον, ἢ σπήλαιον ἢ οἶκος ἔνδοξος, ἢ πᾶν τὸ πρωταγωνιστοῦν τοῦ δράματος, ἡ δὲ δεξιὰ τοῦ δευτεραγωνιστοῦντος καταγώγιον, ἡ δὲ ἀριστερὰ ἢ τὸ εὐτελέστατον ἔχει πρόσωπον, ἢ ἱερὸν ἐξηρημένον, ἢ ἄοικός ἐστιν.*

partes hujus fabulae penes Hecubam fuisse, infra probare conabor.

Ceterum praeter Agamemnonis tabernaculum, quod in media scena collocatum erat, plura tabernacula in scena fuisse, quum omnis hujus tragoediae ratio docet, tum plures loci diserte ostendunt. V. 161. *Τρῳάδες ἔξω κομίσασθ' οἴκων*. 176. *οἴμοι τρομερὰ σκηνὰς ἔλιπον*. Quae tabernacula non picta erant in fronte scenae 2), sed, ut mos erat in theatris Graecorum, exstructa e solida materia.

Praeterea *ipsa urbs Trojae* in recessu scenae conspiciebatur ex recenti incendio fumans. Cf. v. 4. 8. 45. Quam in catablematis sinistrae *περιάκτου* repraesentatam esse arbitror. De periactis explicant inprimis Pollux et Vitruvius. Pollux Onom. 4, 126. *παρ' ἑκάτερα δὲ τῶν δύο θυρῶν τῶν περὶ τὴν μέσην ἄλλαι δύο εἶεν ἂν μία ἑκατέρωθεν, πρὸς ἃς αἱ περίακτοι* (sc. *μηχαναί*) *συμπεπήγασιν, ἡ μὲν δεξιὰ τὰ ἔξω πόλεως δηλοῦσα, ἡ δ' ἀριστερὰ τὰ ἐκ πόλεως, μάλιστα τὰ ἐκ λιμένος*. Vitruv. 5, 7. secundum autem spatia ad ornatus comparata, quae loca Graeci *περιάκτους* dicunt ab eo, quod machinae sunt in iis versatiles trigonoe, habentes in singula tres species ornationis, quae quum aut fabularum mutationes sunt futurae, seu deorum adventus cum tonitribus repentinis, versentur mutentque speciem ornationis in frontes, secundum ea loca versurae sunt procurrentes 3), quae efficiunt una a foro, altera a

2) Qui est posticus paries. Cujus ab initio proprium est nomen *σκηνῆς*, scenae. Deinde *scena* simul proscenium h. e. locum ante scenam situm complectebatur.

3) Significat ille *παρασκήνια*, parietes, qui proscenium clau-

peregre aditus in scenam. Pollux 4, 131. *τὰ καταβλήματα δὲ ὑφάσματα ἢ πίνακες ἦσαν ἔχοντες γραφὰς τῇ χρείᾳ τῶν δραμάτων προςφόρους· κατεβάλλετο δὲ ἐπὶ τὰς περιάκτους ὄρος δεικνύντα ἢ θάλατταν ἢ ποταμὸν ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον.* Erant igitur *περίακτοι* machinae prismatica forma, ita constitutae, ut in cardine versari possent, simul alterum latus diverso ornatu instructum theatro ostendendum esset. In dextra periacto litus maris Aègaei procul spectatum esse videtur, fortasse cum navibus Achivorum nonnullis. Troad. 122. *πρῷραι ναῶν ὠκεῖαι Ἴλιον αἳ κώπαισιν* sq. V. 160. *ὦ τέκν', Ἀργείων πρὸς ναῦς δὴ κινεῖται κωπήρης χείρ.* V. 168. *στέλλουσ' Ἀργεῖοι νόστον.* — Ab ea parte initio fabulae Neptunus in proscenium prodire debebat. Quamvis enim omnino portus maris a sinistra parte scenae, ubi urbs jacere fingebatur, situs esse soleret, tamen in hac fabula, quoniam omnia in campo geruntur, qui inter urbem et mare interjectus est, a vulgari ratione discedendum erat, et, quum urbs in sinistra parte esset, mare a dextra parte esse oportebat. Minerva autem, quae subito Neptunum appellat, aut e mediis tentoriis progreditur, quasi jam commorata aliquamdiu in castris, aut, quod ob v. 58 et 80.[4]) magis placet, machina desuper advehitur, utpote adveniens ab Olympo. Et uterque, unde advenit, eo discedit. Sed verisimilius

---

debant a dextra et sinistra parte, pluribus ad intrandum intervallis. Qui non admodum longi erant, quoniam scena apud antiquos multo plus in longitudinem, h. e. a dextra ad sinistram, extendebatur, quam in latitudinem.

4) 58. *πρὸς οὖν ἀφῖγμαι δύναμιν, ὡς κοινὴν λάβω.*
80. *ἐμοὶ δὲ δώσειν φησὶ (Ζεὺς) πῦρ κεραύνιον,*
βάλλειν Ἀχαιοὺς ναῦς τε πιμπράναι πυρί.

est, ambos in θεολογείῳ, quod super mediam portam erat, constitisse. Reliquae personae ferme omnes e tentoriis progrediuntur, excepta Andromacha, quae a sinistra parte, ubi urbs erat, cum custodibus curru advehitur, in quo etiam spolia Hectoris jacebant. Quare Hecuba v. 572.

ποῖ ποτ' ἀπήνας νώτοισι φέρει
δύστανε γύναι, πάρεδρος χαλκέοις
Ἕκτορος ὅπλοις σκύλοις τε Φρυγῶν
δοριθηράτοις.

Neque vero Talthybius, ubi tertium in scenam venit, Astyanactis cadaver ferens e tentoriis egredi potuit, sed accedit a litore maris, ubi Andromacham modo vidit proficiscentem. V. 1131.

ἐξώρμα χθονὸς
πάτραν τ' ἀναστένουσα καὶ τὸν Ἕκτορος
τύμβον προσεννέπουσα.

In fine fabulae reliquiae urbis ab Achivis incenduntur, quod quidem conversa periacto sinistra facile repraesentari poterat.

2. *De choro.* Chorum, quem choregus suppeditabat e XLVIII aut L viris constantem, tragicus poeta, qui simul χοροδιδάσκαλος esse solebat, ita dividebat, ut quatuor efficeret chores tesralogiae fabulis quatuor accommodatos. Itaque Aeschylus in singulis tragoediis choro duodecim virorum uti solebat. Sophocles autem, testibus Suida et Vitae Auctore, aucto numero chorum XV virorum produxit. Nam ut in scena mulierum personae a viris sustinebantur, ita chorus, qui et ipse saepissime mulieres repraesentabat, semper e viris constabat. Sophoclem omnino imitatus est Euripides. Sed interdum etiam

XIV personas habuit, velut in Supplicibus. Quis autem numerus fuit Troadum? Forsitan quis opinetur, parem numerum fuisse, qui facile in hemichoria discederet. At mihi non videtur necesse sic statuere, quum hemichoria nusquam sint, nisi in prima parte fabulae, ubi chorus ordines suos nondum instruxit. Immo vero, donec certa veri numeri indicia inveniantur, solitum numerum XV personarum retinendum esse censeo. Quid quod parodus, v. 197—229, strophen et antistrophen habet ex G. Hermanni ratione divisas in ternas particulas. Ad quod egregie quadrat chorus ex tribus *στίχοις* quinarum mulierum constans. Quae mulieres e nobilibus [5]) erant Troadibus, ducibus Graecorum reservatae, pars virgines, plures matronae. Neque tamen filiarum Priami et Hecubae, quarum aliquot Polygnotus Delphis in pictura sua posuit [6]), in earum numero ullae fuisse videntur [7]). In scenam illae deinceps (*σποράδην*) veniunt e tentoriis, quod apparet e v. 167, ubi altera pars reliquas e tentoriis advocat. Indutae erant, ut mos erat scenicus, amplis prolixisque vestibus; quamobrem falleretur, qui eas ad similitudinem pictarum [8]) neglecto ac tenui cultu prodiisse existimaret, quod abhorrebat a magnificentia tragici chori. Illae postquam in scena *κομμὸν* alternis

5) Troad. v. 28 sq. — Ib. v. 143.

6) Pausan. X, 26.

7) V. 484. Hecuba: *ἃς δ' ἔθρεψα παρθένους*
ἐς ἀξίωμα νυμφίων ἐξαίρετον,
ἄλλοισι θρέψασ' ἐκ χερῶν ἀφῃρέθην.
κοὔτ' ἐξ ἐκείνων ἐλπὶς ὡς ὀφθήσομαι,
αὐτή τ' ἐκείνας οὐκέτ' ὄψομαί ποτε.

8) Paus. 10. 25. *γυναῖκες δὲ αἱ Τρῳάδες αἰχμαλώτοις τε ἤδη καὶ ὀδυρομέναις ἐοίκασι.*

cum Hecuba cecinerunt, in orchestram descendunt, ubi dum ordines suos instruunt, parodum canere incipiunt, v. 197 sq. Praeter eas famulae nonnullae in scena erant juxta Hecubam, quae personae mutae e choris ceterarum fabularum fuisse videntur. Quas chorus compellat v. 462.

Ἑκάβης γεραιᾶς φύλακες, οὐ δεδόρκατε
δέσποιναν ὡς ἄναυδος ἐς πέδον πίτνει.

Praeterea Talthybius, quoties in scenam venit, comites nonnullos adducit[9]). Alii progrediuntur cum Andromacha, quae curru praetervehitur. Nec non Menelaus comites secum habet, quos in tentorium ingredi et sceleratam protrahere jubet Helenam, v. 883. Talthybium comites adjuvant Astyanactis ossa sepelientem.

V. 1147. *ἡμεῖς μὲν οὖν, ὅταν σὺ κοσμήσῃς νέκυν,*
γῆν τῷδ' ἐπαμπισχόντες ἀροῦμεν δόρυ [10]).

Iisdem ille sub finem fabulae mandat, ut reliquias urbis incendant. Omnes has personas mutas verisimile est e choris reliquarum tragoediarum esse adhibitas.

3. *De actoribus.* Graecorum tragoedias, in quibus maximae fuerunt, tantummodo tres actores agebant. Quod etsi nostri histrionum magistri vix credent, si audiant, tamen omnium auctorum consensu satis constat. Personarum quidem in omnibus ferme fabulis major numerus fuit, quam trium, sed unusquisque actor plures

---

9) V. 294. *ἴτ' ἐκκομίζειν Κάσανδραν χρεὼν*
ὅσον τάχιστα, δμῶες.

10) Harpocration p. 688. *ταῦτα φησὶν ἐπὶ τοῦ βιαίως ἀποθανόντος. Ἴστριος . . . . . γράφει ταυτί: „τινὲς δὲ ἐπὶ τοῦ τάφου δόρυ καταπεπηγότα τὸν Ἐρεχθέα φασί, πεποιῆσθαι δὲ παρακαταθέμενόν τε καὶ τὸ πάθος σημαίνοντα. διὸ τὸ νόμιμον εἶναι τοῖς προσήκουσι τοῦτον τὸν τρόπον μετέρχεσθαι τοὺς φονέας."*

partes sustinebat, nimirum mutata veste et persona. Primariae personae partes qui tuebatur, πρωταγωνιστής vocabatur. Hujus maximum fuit officium; nam primaria persona, ad cujus fortunam omnis fabula spectabat, aut ipsa plurimas partes actionis habebat, aut, si minus ipsa agebat, tamen summum πάθος tolerabat. Et quantus erat labor, per totam fabulam aut angi et queri et frangi dolore aut furere ira vel cupiditate? De nostra fabula non statim apparet primo adspectu, cujus primariae sint partes. Nam quum actio fabulae in eo fere consistat, ut miserae Troades in servitutem abstrahantur, πάθος dividitur inter Hecubam et Andromacham et Cassandram. Enimvero si accuratius fabulae rationem consideramus, primae partes penes Hecubam sunt. Haec ab initio usque ad finem in scena manet, et hujus dolor novis semper stimulis acuitur. Patriae et stirpis suae fortunam plorat, invisam Ithacensis servitutis sortem detestatur, de Polyxena angitur, Cassandram filiam videt abstrahi, lamentatur cum Andromacha, convincit Helenam, Astyanactem sepelit, denique adspicit urbis incendium et ruinam omnium rerum. Itaque primas partes ei vindicamus. Δευτεραγωνιστής autem, secundarum partium actor, in hac fabula sustinuisse videtur Cassandram, Andromacham, Helenam, Minervam. Quoniam enim δευτεραγωνιστής comites primariae personae et malorum socios agere solebat, Andromacham et Cassandram ei tribuimus, et adjungimus Helenae et Minervae partes, quia τριταγωνιστῇ hujus fabulae non conveniunt. Qui quoniam praeconem agebat, ἰσχνόφωνος esse non poterat. Quod quidem requirebatur ad mulierum partes agendas. Quod Talthybium τριταγωνιστῇ dedi, multos habeo veterum scriptorum locos, qui probent, τριταγωνιστῇ eas partes fuisse,

ut primarias personas in infortunium adduceret. Velut Demosth. d. fals. leg. p. 418. *ἴστε γὰρ δήπου τοῦθ', ὅτι ἐν ἅπασι τοῖς δράμασι τοῖς τραγικοῖς ἐξαίρετόν ἐστιν, ὥσπερ γέρας τι, τοῖς τριταγωνισταῖς τὸ τοὺς τυράννους καὶ τοὺς τὰ σκῆπτρα ἔχοντας εἰσιέναι.* Reliquae sunt Neptuni et Menelai partes, quas item *τριταγωνιστῇ* assignari oportet. Sed omnem personarum distributionem haec forma illustrat:

Πρωταγωνιστής. Hecuba.

Δευτεραγωνιστής. Minerva, Cassandra, Andromacha, Helena.

Τριταγωνιστής. Neptunus, Talthybius, Menelaus.

Et quo melius singulorum officia perspiciantur, hanc alteram formam subjicimus:

Prologus. Neptunus, Minerva, Hecuba.
Parodus. v. 197—234.
Episodium I. Hecuba, Talthybius, Cassandra.
Stasimum I. v. 511—571.
Episodium II. Hecuba, Andromacha, Talthybius.
Stasimum II. v. 795—859.
Episodium III. Hecuba, Menelaus, Helena.
Stasimum III. v. 1060—1122.
Exodus. Hecuba, Talthybius.

Et haec quidem sunt, quae de re scenica Troadum dicenda videbantur.

CONSPECTUS.